

Die
ss

not

#

42
40

PROLVSIO ADITIALIS

DE

INTERPRETE SCRIPTVRAE
SACRAE
GRAMMATICO

SIMVL

RATIO LECTIONVM
THEOLOGICARVM

SVB AVSPICIVM

PROFESSIONIS S. THEOLOGIAE
ORDINARIAE

IN ACADEMIA IULIA CAROLINA

HABENDARVM

REDDITVR

A

IOH. BENEDICTO CARPZOV

S. THEOL. D. ET EIVSDEM PROF. PVBL
ORDINARIO

HELMSTADII

EXCVDEBAT P. D. SCHNORR



INTERPRETE SCRIPTARAE
SACRAE
GRAMMATICO
THEOLOGICA
PHONETICAE & ANTHROPOGIAE
ORIGINARIAE
IN VARIO MODO CATEGORIIS
TOMI I. IN DICTO CARICO
ADDITIONES
ADDITIONES
ADDITIONES



COMMENTATIO
DE
INTERPRETE SCRIPTVRAE
SACRAE
GRAMMATICO

C O N S P E C T U S

Iudicii et eruditio[n]is olim coniunctio[n]e, hodie a multis separatur. Abusus distinctionis inter res et verba. Quae[sto], quae probari institutur, §. I.

Notio grammatici generatim. §. II. Grammatici sacri, et interpretis scripturarum sacrae grammatici, notio. §. III.

Argumentum I. Necessitatem grammaticae probans, in interpretatione librorum facrorum. Quia ab unica litera magni montes pendunt. Speciatim ratione consonantium, vocalium, et orthographiae. §. III.

Item, ratione etymologiac. §. V. Ratione formationis et flexionis vocabulorum, dialectorum, nautatis Syntaxeos, particularum, ellipsis, ceter. §. VI.

Argumentum II. Quia grammatica beneficio tenitus literalis et logicus eritur. §. VII.

Argumentum III. Quia nodi scripturarum difficiles, et dubia vexantia, ope grammaticae enodantur. §. VIII.

Item, quia scripturarum locorum sacri codicis tollitur. §. VIII.

Argumentum III. Quia grammatica impedit, ne dogmata per-

III

peruersa ac nouae haereses in
theologia exoriantur. §. x.

Argumentum V. Quia absque
grammatica, Allegoriae et My-
sticus sensus indagatur, ubi nul-
lus est. §. xi.

Argumentum VI. Quia subli-
mitas et emphases rerum per
grammaticam melius perspici-
untur. §. xii.

Obiectioni cuidam obuiam itur.
§. xiii.

§. I



NTIQVISSIMI theologorum non sepa-
rabant iudicium ab eruditione, neque
seorsim scientias excolebant. Sed, ut
multis e militibus fit unus exercitus, ita
ex omnibus disciplinis coniunctim, v-
nam eruditionem, et vnam fieri scientiam theologicam,
existimabant. Eam connexionem qui nostra aetate inter-
ruperunt, dum sermonibus dialeticis, et artificiois ra-
tiuncularum interpretationibus, formosam theologiei fa-
ciem deprauarunt, ii iam hodie chaos artium pro aribus
inuixerunt, progeniem autem excludunt quotidie vitio-
fiorem, et, si vterius incident ita, reuelata tandem lite-
rarum sacrarum placita in meram theogiam naturalem
transformabunt. Nam ad scripturae sacrae interpretatio-
nem accedunt tales, qui neque literis imbuti sunt, neque
artibus necessariis, quibus arduo muneri ferendo pares
essent. Explicant diuina placita sine Hebraica et Graeca
lingua, sine historia ecclesiae et antiquitatibus, sine gram-
maticis et criticis adminiculis. Sufficere arbitrantur, mo-
do glandibus, argilla philosophica fusis, phalangas ho-
stium inuadant, et eos acumine ac syllogismis aggredian-
tur, non doctrina et soliditate comminuant; neque cogi-
tant, vt Epicuri atomum ad intermundia sexenta, ita phi-
losophias ad eruditionem theologicam conferre.

G R A -

GRAVIS iam erat ea calamitas, quam, literarum interiorum negligentia, Christianorum civitati inferebant, nisi etiam, more illorum qui artem nesciunt, studia recta, et eorum cultores arroderent ac deriderent. Siue enim intelligentia destituti, siue affecti doloris morfu ex ignorantis doctrinæ adiumentis, vegrandem enixi sunt, non adstante Lucina, *verum* (vt dicunt,) atque *vocum* distinctionem, qua grammaticos et literatos (haec contemta sunt nomina tantis animabus,) ad *vocabula ac voces*, in proletariis et capite censis praecepitarunt ac detruferunt; philosophos autem (ita se ipsos modeste vocant, ne quis erreret,) ad primam classicorum centuriam, nimirum ad *res*, euocarunt. Hunc igitur partum modo ipsi vnice souerent, et soli delectarentur inscientiae suae excusatione, nemo mehercule inuidenter. Iam quia alios ita instituunt, ac docent philosophiam omnia posse in explicanda scriptura sacra, et eo efficiunt, vt pauciores quotidie appetant doctrinam solidiorem, caendum est administris sanctorum literarum, ne diuinæ sapientiae id fraudi cedat.

QVM igitur, ante aliquot tempus, eum mihi honorem gratiose habuerit CAROLVS, PRINCEPS MAXIMVS, PATER PATRIÆ OPTIMVS, vt mihi sanctæ theologiae, in hac Iulia Carolina ordinarie docendae, potestatem decreuerit; ego autem me dulci necessitate obstrictum cernerem, beneficium illud publica animi grati professione colendi, et oratione aditiali, a) sublata iam mora, praedicandi: apud animum, vt fas est, constitui, huic diuinæ, quam docere sum iussus, disciplinæ formam, in rebus pariter vt in verbis, tueri, et contra Pericles eorum minas, qui philosophice se inflant, defendere. Eum, quoad vixero, seruabo morem, nec illis, qui theologiae se dedunt meo ductu, auctor esse suasorque destinam, ne humaniores inprimis, atque eas contemnant

a) *De vitanda ab Interprete sacro idiomatuosivn.* Nonnulli prae-

dicum proprietatis vocant.

VI

literas, quae et sanctissimae religioni immensum prossunt, et quarum ope superstitionis Romanae iugum, LVTHERI olim conatibus, excussum fuit. Quoniam autem praeципua theologorum sollicitudo eo dirigitur, ut sacram scripturam recte intelligent, et eam ex intentione Spiritus Sancti aliis interpretentur: sib auspicium statim theologici muneres demonstrabo, hanc, difficilem quidem, occupationem, neque vtiis esse neque rectius successuram, quam si grammaticam vocabulorum, quibus vtitur scriptura sacra in doctrina caelesti, enarrationem restituamus, quod, amissa illa, lux purioris doctrinae extinguitur, et nostra salus, tamquam nauis permititur solis ventis, non curata pyxide nautica. Paucissim igitur hanc quaestione, aliis quidem olim non intactam, his nostris tamen temporibus necessario repetendam, ventilabo:
QVOD ILLE DEMVM ET ERVDITVS RECTVSQVE SCRIPTVRÆ SACRAE INTERPRES HABEATVR, QUI EST BONVS GRAMMATICVS. Ea quaestione confecta, sua sponte relinquetur, illos inepte instituere, qui philosophiam vnicे instrumento habent, quo negotium exgeticum absolu possit.

§. II

MAGNAM sine antiquitatis imperitiam profitentur, et eruditis hominibus ludibrium cum risu debent, qui existimant, grammaticorum nomen contemtum esse, nec in numero habendum, eosque, qui in verbis ac vocibus occupantur, ad vltima literatorum subsellia amandandos. Est enim tale hominum genus, qui, dum paucis et consrictis carminibus, febrilibusque distinctionum formulis, sapientiae suae campum circumscripterunt, et dupondio fatures cruda in ecclesiam studia praecipitarunt; qui vnam igitur philosophiam iactant pro eruditione, et, tamquam circulatores panchrestum solent, sic philosophiam sine discrimine, in magna et parua, diuina et humana, ingerunt. Hi si acumine suo sophico perpenderent, illorum ipsi philosophiae aduersari tam austерum theorema, quia vngues

vel

vel digitum habent pro toto corpore, et, partem quidem necessariam eruditionis, pro tota tamen eruditione obtrudunt: tum definerent, arbitror, calumniari, atque eos reprehendere, qui omnium scientiarum, etiam philosophicarum, orbem ingenio complectuntur, b) nimirum eos, quos peritissimi veterum *grammaticos* nuncupabant, eosque solos a doctrinae ac iudicij acrimonia commendant. Hac notione dictus est pater eruditionis, ARISTOTELES, c) grammaticam instituisse; cuius artis officia, quatuor partibus, lectione, et enarratione, iudicio, emendatione, continebantur: d) in quibus ultimis ars critica confituebatur, qua, SEXTO auctore, e) praecipuum grammaticae momentum inest. Haec multiplex variaque doctrina in causa ponebatur, quod *grammatici perfecti*, (eorum appellationem SVETONIVS f) explicauit, praecalaria honorum elogia, ut *criticorum*, *polyhistorum*, et *philologorum* acciperent. Quamvis nomina ita, vitio creati censores pro iis habent, quibus vti vix liceat in tanto lumine veritatum philosophicarum. Nam, eruere vocabulorum potestate, et metaphoras ac loquutiones a se inuicem

- b) IOH. TZETZES, *Hist. sect.* 398, grammaticam vocat τεχνήν, id est, omnium scientiarum orbem et complexum. Conf. DAN. HEINSIUS *Prolegom. in Aristarch.* p. 640.
 e) VIDEIONEM CHRYSOSTOMVM, in *Dissert.* 53, quam de HOMERO inscripti, p. 138. Kai οὐτός ait, ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ, ἐφ' ἡ θεωρίᾳ ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΗΝ ὀργὴν λαβεῖν.
 d) Ita VARRO apud DIOMEDEM, lib. 2, constituit grammaticae partes. alii quidem non consentientibus. Diversas habet sententias apud SEX-

- TVM EMPIRICVM, aduersus *Grammaticos* lib. 1, cap. 4, p. 236, qui eos sequitur, qui tres illius partes faciunt, τεχνην, εργον, et τεχνιν.
 e) SEXTVS EMPIRICVS, loc. cit. Alii *criticen* a *grammatica* distinguunt, ut SENECA, in *Epist.* 108, et HORATIVS, *Epist.* 2, l. 51. Vid. GERH. IOH. VOSSIUS, *de Philolog.* cap. 7, §. 9 p. 45 et in lib. 1, *de arte Gramm.* c. 1, p. 9.
 f) SVETONIVS, *de Illustribus Grammaticis*, cap. 4. et 10. Adde IOH. WOWERIVM, *de Polymath.* c. 15, 16. p. 173. f.

VIII

cem distinguere, sermonis indolem vsumque nosse, proprietatem et possessionem verborum, committere inter se auctores varios, et de illorum integritate aut erroribus sententiam ferre; illud omne, cum genus laborum leue, tum non satis dignum doctissimorum hominum personis, (eos in *rebus* clamitant occupari,) iudicant. Quasi vero inclusum annuli angustiis horologium, non magis placere posset, quam obelisci aut pyramidis altitudo! Et, quasi inter miracula antiquitatis, non Rhodius magis colossus, quam Myrmecidas quadrigulae praedicarentur! Ifsi autem, minime populares, g) *rerum* disceptatores, qui solas res sibi vindicant, proclamant *res*, et defendunt *res*, quasi vero aliud agerent, quam ut quotidie nouas *voces* et *vocabula*, noua *verba* et *distinctiones* tenues, excogitarent! Ea omnia si quis in lexicon philosophicum, (quod iam factum est a nonnullis,) coniiceret, ille videret, has mirificas profundissimasque res, in quibus inuenisse sibi existimant non quod pueri in faba, meras tamen in voces, et vocabulorum explicationes euancescere. Nonne QVINCTILIANVS, h) quem literarum omnium peritissimum fuisse nemo ignorat, inter subsidia saltē ponit, quae ad grammaticorum perfectionem ducunt, philosophiam; recteque monet, eam integrā partem, quae rationalis nominaretur, in vocibus consistere; nec dubitandum esse, si quis proprietatem omnium verborum nosse, ambigua aperire, et discernere perplexa, velit, quin eam penitus intelligere debeat? ARISTOCLES i) etiam, Lampacenus philosophus, nonne libros conscripsit quatuor, in quibus philosophiam, euicit, partem esse literarum humaniorum, et ipsius adeo grammaticae? Itaque magnum complectitur ambitum gram-

g) A Graecis φαντασίαις nominantur. Graeci enim et Romani popularitatem in eruditione commendabant.

h) QVINCTILIAN. *Instit. Orat.* lib. 12, cap. 9. Ad quem FABII

locum exstat praeclera dissertatio IOH. AVGUSTI ERNESTI, Viri Cel. Lipsiae habita anno 1732.

i) Vid. SVIDAS VOC. Αγυστηνός, Tom. I, p. 326.

grammaticorum dignitas. k) Illi, tamquam VI TRUVI-
VS l) architectos nullius artis vult rudes esse, ita, (vt hac
vtar,) in scientia naturali, non PLINIO quidem, aut
NEVTONO, in morali autem, non SOCRATI, SENE-
CAE, aut GROTI superiores sint, sed ultra historicam
tamen cognitionem harum philosophiae partium instru-
cti; rationalis autem philosophiae ita omnino periti sint
grammatici, vt qui eam et diutissime et accuratissime di-
ciderint. Praeterea, prope historiarum cognitionem, et
antiquitatis, geographiae, chronologiae, rhetoricaeque,
diffusam quotidie, in omnis generis auctores veteres le-
ctionem iungant, qua structuram orationis et stili diuer-
situdinem cognoscere, ac suam artem in diuinis pariter hu-
manisque scientiis exercere possint.

§. III

PRAEMITTENDA haec erant, vt vultus grammaticorum
melior pateat, et omnes agnoscant, illorum rugis suas
Charites non deesse. Iam propius ad institutum nostrum
deueniamus. Interpres autem scripturae sacrae, quemad-
modum docere debet, quae sententia subiecta sit verbis
Spiritus Sancti, et quae sint iis ideae atque cogitationes
iungendae; ita, omnium primo, vocabulorum et sermo-
nis, quo sanctissimus liber est conscriptus, peritus fit, e-
tumdemque ita cognitissimum habeat, vt originem vocum,
diuersamque earum, quae vsus induxit vario tempore, si-
gnificationem teneat, quarum ope in scriptoribus sacris,
vno saepius tenore repetitis, loca similia inter se compa-

B

rare,

k) Quid? quod ARISTOTELIS
interpres, qui theologiam quo-
que professus est, ab vniuersae
eruditionis contemplatione et
complexu, *grammaticus* dictus
est, et eum titulum ipsi theor-
logicis operibus praescripsit?
Et, sequiori aetate, illustris
Danicarum rerum scriptor Sa-

XO, SAXONEM *grammaticum*
se dici voluit. Quod non magis
est admirandum, quam
quod IVLIVS CAESAR SCA-
LIGER ex intima philosophia
de grammatica et linguae lati-
nae caussis disputauit.

l) M. VITRVVIVS POLLIO,
de Architect. lib. 1, cap. 1. p. 2.

X

rare, et ex ipsis inde auctoribus interpretationem arcessere possit. Deinde, cognita singulorum verborum potestate, videat de nexus eorum, integrarumque enunciationum sententia. Qua quidem in re, ex grammatica in primis arte, praefidia conquirenda sunt. Nam, nisi structura totius orationis, et verborum compositio, linguis sanctissimis propria, intelligatur, atque ex grammatica institutione afferatur, non potest etiam enunciationum vis intelligi, praesertim, si non eam formam, quae logica nominatur, obtineant. Itaque hunc insignem grammaticae usum in scripturae sacrae interpretatione, sicut alii, eximiique confessionis nostrae theologi agnouerunt, ita MARTINVS in primis CHEMNITIVS,^{m)} illud decus ac lumen nostratum, pronunciauit, ecclesiam tantum grammaticam esse oportere, ut nimur impediretur, ne finge rentur res nouae, aut noua dogmata proculderentur. Eam ob causam, iussit, operam adhibendam esse, ut ea, quae a Spiritu Sancto tradita sunt, addiscerentur e recta significacione vocabulorum, quibus scriptura sacra, in exponentia veritate caelesti, vtiur. Id autem longe verisimum esse, merito fatentur, qui aequo rem tantam animo expendunt. Tantum enim cognoscimus in rebus diuinis, quantum ex vocum atque loquutionum, quibus Spiritus Sanctus mysteria Dei proposuit, significatu et idiosyncrias eruimus. id quod sine philologiae, sacraeque grammatices opera, fieri non potest. Quid est igitur, quaeris, quod grammaticus sacer profiteatur? Perplurimum sane, et momenti id quidem in primis maximis! Modo caueas, ne in limitibus grammatici constituendis ac veluti regundis, subiniquus reperiare. Grammaticus sacer elementa non didicit literarum, ut sola sciat doceatur, quem probe teneat, nullam in singulis literis animarum incolumentatem deprehendi, eruditionem autem non magis, quam allegorias ORIGENIS, aut TERTULLIANI praescriptiones. At cogites etiam, eum non statim lin-

guam

^{m)} MART. CHEMNITIVS Loc. Theol. P. 2, p. 217.

quam addidicisse, qui principia didicerit, nec, qui tenuerit linguam, eum esse illius finem iam asequutum. Potius cogites, usum grammaticae sacrae in eo confistere, ut magis sit linguarum originalium, et index significacionis vocum, constructionum, idiotismorum, proverbiorumque, quibus linguae sacrae ab aliis distinguuntur; ut versionum sit translationumque biblicarum iudex; barbarismi vindicta et foloecismi, scripturae sacrae stilo sine merito adspersi. Consideres magnam sacrae grammaticae utilitatem, in colligenda lectionis veritate, in varietate scripturae obseruanda, in auctoribus librorum dignoscendis, in asserenda orationis sinceritate, eaque a glossematicis liberanda. Reputes alia disciplinarum adminicula, quae cum grammatica arte connexa sunt, ut quae dicendi varium characterem, propriam figuratamque loquitionem, dijudicant; quae tropos et metaphoras, pathologiam, partitiones, quibus usi sunt sacri auctores, euolunt; quae in regulis, ad ambiguitatem tollendam, ex verbis phrasibusque ortam, occupantur; tandem etiam, quae in perspicienda sermonis cohaerentia, et integra cogitationum serie versantur, cui detegendae et ordinandae analysis grammatica, rhetorica, logica, auxilium pollicetur. Perpendas denique, ut plurimae voces, Hebraicae atque Graecae, sine historia et ritibus Hebreorum, Assyriorum, Persarum, Arabum, Graecorum et Romanorum, intelligi non possunt! ut illae non comprehenduntur sine notitia de statu ecclesiarum, civitatum, et haeresium tempore Apostolico; sine chronologia et epocharum cognitione; sine Palaestinae, Graeciae, Asiae minoris, Italiae, et vicinarum regionum descriptione; sine patriarcharum, regum, Christi, Herodum, genealogiis; fine versione Septuaginta Alexandrinorum; sine Rabbinicis, et profanis scriptoribus, in primis his, qui aut eo tempore, quo nonnulli scripturae libri exarati sunt, aut non ita multo post, vixerunt, PHILONI nimurum, et FLAVIO JOSEPHO. Haec igitur, atque alia officia susti-

XII

nenda sunt sacro grammatico, si honorem egregii nomi-
nis explere velit.

§. IIII

COPIOSIS haec omnia testimonii probari possent, si angusti, quos nobis limites praefiximus, id permitte-
rent. Itaque pauca tantum argumenta ex ampliori farra-
gine depromainus, iisque euincamus, doctum scripturae
sacrae interpretem esse grammaticum oportere. Primum
omnium, nemo in dubium vocabit, IITERARVM SA-
CRARVM INTERPRETIBVS CVSTODIAM ESSE DE-
MANDATAM, PROSPICIENDI, NE VNVM IOTA, AVT
APEX VNICVS DE DIVINIS PRAECEPTIONIBVS
SVBTRAHATVR. Ita olim in Iudeorum ecclesia, quem
Deus prouide occurseret, ne sacra scripta corrumperen-
tur, *Masorethas* excitauit grammaticos, qui in literis ac
vocibus, in Keri et Cetiph, in distinctione versuum et ac-
centibus, iudicium exercuerunt; n) quod vtile operosi
laboris studium nemo inter Christianos in Noui Foederis
libris est aemulatus. Ita etiam ORIGENES, Septuaginta
interpretum translationi, variis iam modis tum deprava-
tae, grammaticam admouit manum, et diacriticis eam
notis instruclam, inferuit Hexaplis, incomparabili operi,
in quo antiquam et germanam sacri codicis lectionem in-
dagauit, et eam ex AQVILA, SYMMACHO, AC THEO-
DOTIONE suppleuit, et pulchre emendauit. o) Ex Latini-
bus patribus, HIERONYMVS, quam improbo labore iam
senex didicerat, Hebraeam grammaticam, eam ad ma-
gnum theologiae et interpretationis scripturae sacrae sub-
sidium contulit, et in omnibus commentariis suis, pрак-
fationibus, epistolis, ac versionibus librorum Biblicalorum,
fa-

n) Conf Vir Magnif. et S. Vene-
rab. IOH. GOTTLÖB CARP-
ZOVIUS, in Crit. Sacr. p. 285.
o) De ORIGENIS notis criticis,
et de toto Hexaplorum opere

vid. PETR. DAN. HVETII O-
rigenian. p. 260. Reliquias He-
xaplorum edidit BERNARD.
DE MONTFAVCON, Parisis
anno 1713.

satis plerumque feliciter usurpauit. p) Videbant hi acutissimi homines, MAGNOS MONTES PENDERE IN SACRO CODICE AB VNICA LITERA, et sollicita inde cum cura attendendum esse ad orthographiam, et etymologiam, ad formationis et flexionis modum, ad dialectos diaconum Graecarum in filio Noui Testamenti, ad ellipses denique, atque alias loquendi formulas, quae a communibus sermonis regulis deflecerent. Quis autem est inter viros intelligentes, qui illos non existimaret propterea laudandos esse, et perplurimi faciendo? Ecquis enim phrases et constructiones, ecquis syntaxin et linguae analogiam, ecquis orationis cohaerentiam, et rectam particularum potestatem capiat, si grammaticarum rerum est imperitus? Ecquis, in Hebraico charactere, videat, ab interpretibus Septuaginta confusionem factam literarum affinitum? Quod illi in Hymno XVIII, 4, literam ר cum מ permutarunt, et pro מורי a superbis legerunt a dispergentibus, vertentes ἀπὸ ἀλλοτειῶν, quum debuisserint ἀπὸ τῶν ὑπερηφανῶν! Quod illi in Iesaiæ capite XXXVIII, 14 literam ס in ס in mutarunt, et pro ס in ס in legentes, ex equo, hinnulo, birundinem efformarunt q)! Ecquis, grammatica destitutus cognitione, intelligat interpretationem falsam, e peruersa punctorum vocalium subscriptione enata? In Psalmo VII, 12 pro verbis וְאַתָּה Pf. vii, 12. ET DEVS irascitur impio quotidie, legerunt illi sensu omnino contrario ἈΝΙ, ET NON irascitur omni die, vertentes ΚΑΙ ΜΗ ἐπέγων ἔργων καθ' εὐάστην ἡμέραν. Si Iesaias vates scripsit XXVI, 14, בְּלִקְשָׁתִי, MOR. Ies. xxvi, 14. Tvo's ecclesiae persecutores non resurrecturos esse, nimirum ad amplius perturbandam Christi ecclesiam; Alexandrini seniores, iisdem literis, sed vocalibus diuersis le-

B 3

ge-

p) Vide denuo Summe Venerab. CARPOVII Patruelis mei, infra Patris, colendissimi, Crit. S.

p. 21.

q) Eiusmodi confusionem lite-

rae וְ et וְ in voce בְּגָד obseruauit BONAV. CORN. BERTRAMVS, in Interpretate Errabund. p. 134. 135. (ed. Altorf.) annexo eius Lucubrat. Frankal-

XIII

gerunt Μεντικοί, id est *medicos*. Itaque sine multis ambagibus, Aesculapii filiis resurrectionem a mortuis denegarunt, et verterunt, ἐδὲ ΙΑΤΠΟΙ & μὴ ἀναστοστι, neque etiam omnino MEDICI resurgent. Quis consolabitur ordinem medicorum, praeter grammaticum? Ergo igitur grammaticus iis gratiam remuneratur, quod haut pauci inter medicos grammatici, et vindices literarum exflitent?) Ita etiam in Graeco Testamento permulti sunt loci, in quibus ab unica litera, et ab orthographia sensus ducitur. Quaere autem ex agrammatico, quid existimet, in Matthaei capite XVIII, 24 legendumne sit καύηλος εαμελος, num ωμηλος rudens, qui per acus foramen traiicitur? Num Marci capite X, 56 ἀποβελῶν, aut cum SAMV ELE BATTIERIO s) απολαβῶν? In eodem Marco, XII, 3, 50, XII, 3. uum ἔδειχν, quod a δέω repetitur, aut num ἔδηχν, quod deducitur a δείχω, scribendum sit? Num Paullus in epistola ad Romanos, VIII, 3 sibi optet, vt fit οὐδέθερα pro fratribus suis, aut vt fit οὐδέθην? t) Quaere ex agrammatico, qui fiat, vt in prima ad Corinthios XV, 49 legendum sit in Futuro Φρέστωμεν, et non, cum MARCIONE ET TERTULLIANO, u) in Coniunctivo Φρέστωμεν? qui fiat, vt cum MILLIO ET BENGELIO scribendum sit I Timoth. I, 4. εἰνοοῦται Θεός, non εἰνοδοπιάται Θεός? qui fiat, vt multis aliis in locis πνεῦμα ἀγνωστόν, non autem ἀγνοστόν, apponatur? Excipiet forsitan grandis philosophus, parum admodum referre, siue ἀγνωστόν siue aliter pingetur; immo etiam adiiciet, SCAPVLAM suum existimare, rectius il-

lam

s) Honore igitur non contemnendo affecti, ab egregio et ipso vindice humanioris literaturae, IACOBO BVRCKHARDO, ei merito suo et amplissima fama dudum inclito viro, in libro, *Medicus, grauissimus humanitatis studiorum vindex*. Wolfenb. an. 1716.

t) SAM. BATTIER. in Biblioth. Bremensi. Clasf. 6, p. 88.

u) Legendus imprimis CLAVD. SALMAS. in SOLINVM p. 767.

w) TERTULLIAN. contra Marcion. lib. 5. c. 10. p. m. 79. quocum COLOMESIS, Obscur. Sacr. p. 27. et laudatus BATTIERIVS, l.c. p. 102, faciunt.

Iam vocem cum Omega scribi. Sed eo ipso dabit poenas ignoratae grammaticae. Nescit enim, ea vocabula, quae in ονύμα finiantur, a *Nominibus* descendere adiectuis, et rei significatae qualitatem indicare. sic ab ἄγος sanctus venire ἀγωστόν, id est sanctitatem: quae autem vocabula in ονύμα excent, ea a *Verbis* deduci, effectionemque rei significatae innuere. sic ab ἄγρώ sanctifico venire ἀγωστόν, id est sanctificationem. Igitur πνεῦμα ἀγωστόν verti non debet spiritus sanctitatis, sed, vt *CASTELLIO* transtulit Rom. I, 4, *spiritus sanctificus*, id est, eiusmodi, qui san-
ctimoniam in hominibus alit ac perficit. $\alpha)$

Rom. I, 4

§. V

Ex etymologia, (qua iuuat, adhibita,) interpres iudicat de originatione recta, proprietate, et significatione vocabuli. Illius diligens consideratio non parum facit ad intelligentiam difficultum locorum. Sic in voto Iephetaeo, quod legitur libro Iudicium, XI, 31, ex vnica obseruatione Iud. xi, 31; grammatica soluit vexata quaestio, num Iephatah filiam immolauerit? Eo nimirum res omnis reddit, num in his verbis Hebraicis וְיָהִי וְהַלְלוּ שְׁלֹחַ, duplex sit copulatum, an potius disjunctum, hoc sensu: *A V T erit Domini, A V T offeram in holocaustum?* Si Bethlehe-ma in loco Michae, V, 2, vocatur צְשַׁרְדָּה, haec Mich.v.2, quidem verba transtulerunt Septuaginta interpres, ἄγο-s ē, parua es Bethlehem; neque ab iis dissentit L V- THERVS noster. Quod si vero grammaticam audiamus, edocebimus illa, particulam נ, voci צְשַׁרְדָּה praefixam, in-

ter-

$\alpha)$ Hoc discrimen in Graecis non minibus obseruauit *ERASMVS SCHMIDIVS* in *Novo Test. p. 1224*, cuius etiam in Notis, plures huic generis obseruationes occurrant. Ceterum multi, interpres, verba τὸ πνεῦμα ἀγωνίας, de diuina Christi natu-

ra accipiunt, secundum quam Filium Dei essentiale se demonstravit, vt eamdem vim habeat ac Hebr. VIII, 14. Eos vide apud *IOH. CHRISTO. WOLFIUM*, in *Curis, ad h.l.* Sed dabitur alibi locus, de eo commate exponendi.

XVI

terrogationis notam habere, hoc modo: *N v m tu Bethle-*
hem a, adeo parua es? Talis autem interrogatio eamdem
 cum negatione vim obtinet. Itaque nunc planc intelligi.

Matth. II, 6. *guntur Matthaei verba, II, 6, ex eodem Micha adducta,*

καὶ σὺ, Βιθλεὲμ, γῆ Ἰσραὴλ ἐλαχίστη ἐστιν, et tu, Bethle-
hem a, Iudeae terra, nequaquam minima es. In qua in-
 terpretatione Michae, etiam alii antiqui libri, **TERTULLIANVS** item ac **CYPRIANVS** *y*) conueniunt. Nunc ad

Graeca progrediamur. Originem vocis *ἀνέρως*, quae a-

Matth. x, 16. *pud* Matthaeum habetur capite X, 16, deduci existimat AV-

CTOR ETYMOLOGICI MAGNI, vel ab *α* priuante et ver-
 bo *νεράω* *mixeo*, ac significare *sincerum, cui nihil alieni ad-*
mixtum sit; vel ab *α* et *νέρας cornu*, ac denotare nulli no-
 xiun, sumta metaphora ab animantibus, quae natura nul-
 lis cornibus ad nocendum armasset. Sed neutrum se re-
 ste habet. Nam ex *α* et *νεράω* fit *ἄνερος*, et ex *α* et *νέρας*
 fit *ανέρως*, non *ἀνέρως*. Itaque deducendum est voca-
 bulum, cum **LAMBERTO BOS**, *z*) *απὸ τῷ νερᾶζειν*. Id

HESYCHIVS interpretatur *διαφεύγειν, πορθεῖν, perdere,*
laedere, et **Actiue** significat *innocentem, qui alium non lae-*
dit. Quocum etymo **EVSTATHIVS** a) consentit, vbi de
 verbo *νερᾶζειν* agit: *"Οὐτε* ait, *ἀνέρως λέγεται, ὡς μηδένα*
νερᾶζειν, ὃ εἴτι εἰλάπτων. Ita etiam notio vocabuli *πισιώς*
 e recta ipsius etymologia est manifesta. Mentionem faci-
 unt Euangelistae, *νέρας πισιώς*, qua Dominus Bethaniae
 perunctus est, et solliciti sunt interpretes de significatione
 idonea. Plerique, a Praesenti insutato *πέτρα* arcessen-
 tes, *nardum potabilem* vertunt, **ATHENAE** b) quidem
 auctore, qui nardum scripsit, *πέτρος πότερος aptam esse.* At

meli-

v) TERTULLIAN. adu. Iudeos,
cap. 13. p. 102. CYPRIAN. Te-
stimon. adu. Iud. lib. 2. §. 12. p.

95. Conf. etiam Miscell. Ob-
seruat. T. X Vol. 1. p. 80. f.

2) LAMB. BOS, in Diff. de Etymo-
log. Graec. p. 15. subiuncta eius

Exerc. Philol. in N. T.

a) EVSTATHIVS ad HOMER,
Iliad. X, p. 1090. (ed. Rom.)

b) ATHENAEI Deipnosoph. lib.
15. p. 602. Idem scriptor, et
iam alibi habet, νέρας πισιώ-
την.

melior est eorum sententia, qui a verbo πειθω fidem facio deducunt, et intelligunt cum THEOPHYLACTO c) τὴν ἀδολον νέγδον, οὐδὲ μετὰ πίστεως καταπνειασθεῖσαν, nardum sinceram, nec adulteram, et cum fide confitam. Sic etiam Glossae veteres EUCHERIO tribuant hanc pistici interpretationem: *Nardum pisticum, christina sine impostura.* De qua interpretatione grammatica CLAVDIUS SALMASIUS d) adeo securus est, vt ne dubitandum quidem censeat.

§. VI

PRAETEREA, formatio et flexio vocabulorum, nonne ex grammatica, tamquam ex Delphico quodam oraculo, manifestatur? Si praedicit Seruator calamitosam cladem, et τὸ Εδέλυμα τῆς ἐρημώσεως, quod deuastaturum sit terram sanctam, ΕΣΤΩΣ ἐν τόπῳ ἄγιῳ illa formatio verbi ἔσθιος fecellit multos interpres. Nam dubii fuerunt, utrum illud ad Danielem, cuius ibi fit mentio, an vero ad τὸ Εδέλυμα sit referendum. Posterior, cum IOH. FREDERICO HOMBERGIO e) existimaretur, grammaticam non permittere, quia ἔσθιος in genere Masculino possum, ad τὸ Εδέλυμα, Neutrius generis vocem, referri non posset. Itaque idem HOMBERGIVS nouam interpretationem, non leuibus onustam difficultatibus, excogitauit, traxitque τὸ ἔσθιος ad verba sequentia ὁ ἀπαγνώσκων νοέτω. Sed ea explicatione non opus erat, si vir doctissimus ex

C

gram-

Matth.

XXIII, 15,

c) THEOPHILACT. *Expos. in Marci cap. 14.* p. 269. Conf. SVICERI *Thef. Eccles. Part II.* p. 390. sq. et GEO. FR. HEVELII *Not. Grammatic. Crit. in Euang. Marc.* p. 412.

d) SALMAS. *Plin. Exerc. in Solin. Polyp.* p. 750. Vbi etiam obseruat, non tantum insinuam Graeciam πιστὸν dixisse παρηγόμενον pro πιστὸν, sed etiam

meliorem. Nam et apud ARTEMIDORVM est πιστὸν γνῆ νοήσιμος. Et vetus auctor Geographiae, NICOMEDI inscriptae, πιστὸς posuit pro fideliter. Versus Graecos lege apud ipsum SALMASIVM.

e) HOMBERGK. ZV VACH, in Parerg. Sacr. ad Matth. XXIII, 15, p. 68. s.

XVIII

grammatica adduxisset, quod pro ἐσηδεῖ siue ἐσαδεῖ Ionice dicitur per syncopen ἐσαδεῖ, et pro ἐσαδεῖ per erasim Atticam ἐσως, non autem per ο, sicut MILLIUS ET KUSTERVS in contextum intulerunt, sed potius, propter contractionem, per Omega. Iam quid de dialectis, in Nouo Testamento frequentibus, est statuendum? Eas enim, quis crediderit sine grammatica cognosci posse? Pro διαναθασται, legitur apud Matthaeum III, 12 διαναθασται. In capite VIII, 5 ἀφέωνται, pro ἀφένται. Apud Marcum XVIII, 67 legitur θοσθαι, pro θε, quod etiam Aeolibus in more positum. Apud Lucam I, 64 ἀνεῳχθη, pro ἀνοιχθη. Capite XXII, 42 Εὐλει, pro Εὐλη. In epistola Paulli ad Romanos, II, 4 habetur τὸ χειρον τῷ Θεῷ, pro ἡ χειρότον τῷ Θεῷ. Ad illa vero omnia, Atticis perusitata, agrammatos, tamquam elephas stupebit ad Thebanas portas. Haeredit item, si aliam offendet syntaxeos nouitatem. Ut, si Graeci per Imperfictum, quae Latini solent per Plusquamperfectum efferre, tamquam in Apostolicis actis, III, 13, vbi verba illa ὅτι σὺν τῷ Ἰησῷ ΉΣΑΝ, non aliter sunt vertenda, quam hoc modo: *quoniam cum Iesu FVERANT.* Haeredit agrammatos, quod verbum ην in Praesenti habet significationem Praeteriti, apud Lucam, XV, 27, et Iohannem, II, 4. Quid iterum in Actis XXVII, 6 Praesens ponitur loco Futuri, et πλεον dicitur ΠΛΕΟΝ εἰς τὴν Τραλλων, id est, nauis, quae NAVIGATURA ERAT in Italianam. Sic apud Matthaeum, I, 20, Neutrum τὸ γεννηθὲν, quod genitum est, scribitur ex vnu Graecorum, HERODOTI, ac LUCIANI, f) pro Masculino ὁ γεννηθεῖς, qui est genitus. In capite ultimo, versu 19, Masculinum αὐτὸς construitur cum Neutro τὸ γεννηθὲν. Iterum apud Matthaeum,

f) HERODOTVS, lib. I, c. 29. p.
51: ΤΟ ΦΕΝΩΜΕΝΟΝ ἐξ ἀντης
διαρθρωμ, LUCIAN. Dial. Pro-
methei et Ionis, Opp. T. I, p.
186 sub finem: Ἡ γάρ ἀπό την
πορφυρην ἐν τῷ ΤΕΧΘΕΝ ισα

ζεγάσεται αε οὐκ οὐγ Vsurpatur
Neutrum eodem modo et in
aliis vocibus. vt Matth. XVIII,
II, ἀπόλωλι. Lege b. GEORG.
RAPHEL. Ann. ad Matth. I,
20, p. 106. (ed. L.B. 1747.)

Act. III,
13.

Act. xxvii, 6.
Matth. I,
20.

XVIII

XVIII

um, XVIII, 8 Positius pro Comparatio habetur. KAAON
οι ἐστιν, εἰσελθῶντι τῷ ζωὴν καθὼν, id est, MELIVS tibi
est, ingredi claudum in vitam aeternam. Lucas in Actis
XV, 25 Participium quarto casu, ἐνλεξαμένος, retulit ad
Pronomen in datiuo, ἡμῖν, loco ἐνλεξαμένοις quod ne pro
soloecismo habeatur, Cl ELSNERVS EX DINARCHO et
AELIANO g) cavit. Apud Iohannem, XVII, 2 Collectio Ioh. xvii,
uum singulare componitur cum plurali, hoc modo: ΠΙΑΝ, 2.
ἢ δέδωκες αὐτῷ, δώσῃ ΑΥΤΟΙΣ ζωὴν. vt, QVOD CVM QE
ei dedisti, IIS vitam der aeternam. Huius generis alia
prostans loca apud Matthaeum, III, 5, et in Lucae actis,
XXI, 22. Sic in priori epistola ad Timotheum, II, 15, i. Tim. ii,
mulier dicitur seruari per liberorum procreationem, si 15.
manserint in fide. Verba haec sunt: Σωθίστεται δὲ, scil. H
ΓΤΝΗ, διὰ τῆς τεκνογονίας, εἰάν MEINΩΣΙΝ ἐν πίστει. Illam
fane numeri mutationem, PHILIPPVS MELANCHTHON
b) iam animaduertit, interpres decepisse, et quaestiones
intempestiuas peperisse. Grammaticus autem sagax, (ita
pergit praceptor Germaniae,) facile intelligit quaestionem.
Vt enim dicimus: turba ruunt; ita Paullus de sexu loqui-
tur: si manserint, scil. sexus muliebris. Si quis ignorat
grammaticam rationem syntaceos, haec utilis doctrina tota
iacet obruta densissima caligine. Ita etiam fieri solet, vt
apodosis, non clare adiecta, e contextu suppleri debeat.
Sic apud Marcum, XIII, 34, protasis quidem adducitur in Marc.
parabola hominis peregrinantis, qui ianitori, vt vigilaret, XIII, 34;
mandauerat; sed apodosis, propria est meditatione adi-
cienda, hac formula: si etiam Dominus, tamquam nunc
peregrinans, vobis imposuit, vt vigileatis. Apud Lucam,
XIII, 9, post verba, καὶ μὲν πεισθη ναεπον, si forte fructum Luc. xiii,
ferat, denuo deest apodosis, quam suppleuit THEODO- 9.
RVS BEZA i) per εὔστον, fines. Sic integrum, nisi fallor,

C₂ ora-

g) DINARCHVS, contra DE-
MOSTHEN. p. 106. AELIA-
NVS, Var. Hist. lib. 2, c. 13.

b) MELANCHTHON in Praefat. ad Grammatic. suam.
i) BEZA, apud Cel. ELSNE-
RVM

XX

Matth. XXIII, 28. ὅπε γαγέ ἐαν ἡ τὸ πτῶμα, εἰκῇ συναχθήσοται οἱ ἀετοί. Illud commina sic vertunt plerumque, nam, *vbi*cunque est *cadauer*, eo *aquilae* congregabuntur, et non idonee credunt, per *cadauer* Christum, et per *aquilas* Fideles indicari. Sed omnia pure fluenter, quando haec subintelligeretur propositio: τὸ δὲ τὸ ΠΤΩΜΑ γενήσεται διὰ τῆς ἀετᾶς, illud autem EXCIDIVM per Romanorum inuader aquilas. Nimirum, postquam prædixerat Christus Iudeorum πτῶμα ac *vaſtationem*, nunc adiicit, illam velociter, instar fulguris, perrupturam, et quidem per τῆς ἀετᾶς quae Romanorum aquilae ac signa sunt. Omne, ait, exiūtum et calamitas *vestra* per Romanos accidet. Romani enim iam totum orbem subiugant: et, *vbi*cunque *bodie* excidiūm est, id Romanorum manu peragitur. k) Ecquis etiam agrammaticus vim teneat Aoriflorum, quibus vtuntur Graeci, ad denotandum actum, quem vocant, continuum? Converte, fodes, qui ignoras grammaticen, verba Lucae, I, 51, εποίησε νεῖτος, -- διεσύδη-

RVM ad Lucae loc. qui et simile ARISTOPHANIS exemplum adscripsit, vbi Scholia notant, fibaudiendum esse *ēdōtērē*, finit. Vid. LVD. KVSTERI Not. in Plut. vers. 468. k) Vocabulum *ōwaa*, quod apud Lucam, XVII, 37 pro πτῶμα legitur, significat generatim id, quod ex pluribus in unum est collectum et conflatum. quemadmodum integræ gentes vel ciuitates sunt. Sic TACITVS de German. cap. 39 fin. ait, magno Corpore, pro magna ciuitate. Tὸ πτῶμα autem non est hoc loco *cadauer*, sed eandem vim habet, quam πτῶ-

μα, *ruina*, *casus*, *excidium*, scil. gentis, aut ciuitatis. Qui enim putant, proverbiū quoddam hic contineri, ex Iobi capite XXXVIII, 33 defunctum, *vbi occisi*, *ibi ipse* est; sono vniue inhaerent, IOH. DRVSIVS Proverb. class. i. lib. 3, no. 1 (p. 462. Bibl. Crit. ed. Amst.) haec adducit verba Hebraica: נַשְׁר חֲלִילִים שֶׁם הַנְשָׁר: *בְּנַשְׁר* פְּגֻרִים שֶׁם הַנְשָׁר: *vbi* BELLO CAESI, *ibi aquila*. Vide, sis, IOH. LOEDERI schediasma de *Cadauere Iudaeo ab Aquilis Roman. discerpendo*, Argentor. 1715.

επιστεγειν πάντας! Conuerte, sodes, verba Pauli ad Galatas, V, 24, οἱ δὲ τὰ Χριστὰ, τὴν τιγνα ἐπίκυρων! Transfers, scio, cum VULGATO interprete, in tempore perfecto. Sed omnino pessime. Nisi enim ita transtuleris, qui fortia patrare SOLET — qui SOLENT superbos profigare; et in altero loco, nisi ita reddideris, qui vero sunt Christi, ii carnem crucifigere SOLENTE; non perperam tantum, sed contra ipsam fidei analogiam vertisse, censendus es. Denique multam afferre nubem poteramus, eiusmodi exemplorum, quibus scripturae sacrae interpreti grammaica asperatur, partim in cognoscendis Hebraicæ et Graecæ linguae particulis, partim in ellipsis, ac vocibus quae in utroque Testamento supprimuntur, partim denique in verbis Graecorum Mediis recte interpretandis; nisi cuperemus, desiderium, euoluendorum ualtheri, devarii, bossii, et kuesteri aureorum librorum, excitare.

§. VII

SED nunc alio quodam argumento demonstrabimus necessitatem grammaticae, in explicandis Dei oraculis. Quamvis enim rerum in scriptura sacra cognitio subinde non regatur a vocabulis, sed vocabula potius metiri debeant ad materiem rerum substratarum; multis tamen in locis, GRAMMATICAE BENEFICIO EDOCEMVR LITERALEM SENSVM AC LOGICVM, ET DE EIVSDEM VERA INTERPRETATIONE CERTI REDDIMVR, adeo, vt applicari possint ad sacrum interpretem, quae FABIVS I) de oratore scripsit, nisi ei grammatica ars fundamenta iecerit, ea omnia, quae ille superfrueret, corruere. Atque haec obseruatio, quemadmodum innumeris comprobari exemplis posset, ita nos, angustis finibus coarctati, ex Matthaeo saltē pauca proferemus, quae testimonio esse possunt, verum sensum, quem Spiritus Sanctus intendit, ex grammatica prodire; deinde alium

I) QVINTILIANVS, Instit. Orat. lib. I, c. 4. p. 18.

XXII

locum, ex priori ad Corinthios XI, 10, adjiciemus. Ita
 Matth. x, que apud Matth. X, 23, quum Christus solatia daret suis
 23. Apostolis, de aerumnis imminentibus, et iis auctor estet,
 ut in aliam concederent urbem, si male in alia haberentur;
 haec addit verba: Ἀυτὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, εἰ μὴ τελέσοντες
 τὰς πόλεις τὰς Ἰουδαϊκὰς, οὐαὶ ἀν ἔλθῃ ὁ νίκος τοῖς αἰνθέοποις. No-
 uissimus, et ille peracutus quidem, interpres, CHRISTO.
 AVGUSTVS HEVMANVS, m) existimat, quum non
 τελέσοτε, in Futuro, sed in Aoristo Coniunctui, τελέσοντες
 (scil. τὰς δάσκων) scriberetur, huic igitur verbo notionem
 iubendi ac praeciendi inesse, hoc modo: *vos NON DE-
 BETIS finem facere docendis urbibus Israëliticis, donec ho-
 mine natus veniat;* ipsum autem verbum τελεῖ eo tempo-
 re apud plebem in vsu fuisse. Iam quidquid illius fuerit,
 quia certum est potius, Aoristum indicare actum conti-
 nuum, *vos nondum finem imposueritis docendo, sed tum ad-
 huc docebitis;* ita nondum sublata est difficultas, nisi et
 iam evoluitur grammatica notio particularum οὐαὶ ἀν. Il-
 lae vero nec tempus definiunt in hoc loco, nec periodum
 constituant, sed eadem ratione excludunt tempus, qua
 particulae οὐαὶ ἀ, ἄχεις ἀ, et Hebraica vox נִו, Genef. VIII,
 7. Matth. I, 25. Hebr. I, 13. Itaque οὐαὶ ἀ nude significat si,
 quando, quum. et prodit talis paraphrasis ex hoc commata:
Quum autem vos infestabuntur in aliqua urbe, fugite in aliam. Multa est messis! et urbes Israëliticae multae
sunt! Immo vero, vobis confirmo, nondum vos perlustrauer-
 ritis omnes urbes Iudaicas, sed in Iudea Euangelium doce-
 bitis adhuc tum, quum Dominus suo supplicio et vindicta
 appropinquabit. In eodem Matthaei capite, interpretes
 26, tantum non omnes, tamquam gnome vtuntur versu 26,
 eumque ita vertunt: *nihil tam teatum est, quod non sit de-
 regendum, aut tam occultum, quod non sit cognoscendum;*
 ita, ut HORATII dictum conueniat: *quidquid sub terra
 est,*

m) S. R. HEVMAN, in Part. I.
 der Erklarung des N. T. quae ante paucas hebdomas pro-
 diit, p. 138.

est; in apicum proferet aetas; aut, illud Graecorum: "Αγει δὲ πρὸς Φασὶ τὴν αἱρέθειαν χεόντος. At nihil legitur in toto contextu, quod locum communem de eo, num aliquid vere latens sit, flagitaret. Sed requirit potius versus proximus, ut verba quaedam, per ellipsis grammaticam suppresa, ita suppleantur: Οὐδὲν γάρ εἴπιν πεκαλυμένον ΤΙ ΤΟῦ ΕΤΑΓΓΕΛΙΟΝ ΜΟΥ, (vel etiam τὸ ὄντα με, versu 22,) ὃ ἐπιπονητανθήσεται, καὶ ΟΥΔΕΝ ΕΣΤΙΝ πεντρόν ΤΙ, ὃ ἐγω στήνεται. hoc est: Nomen et Euangelium meum nihil tectum est, quod non sit deregendum: nec occultum est aliquid, quod non sit cognoscendum. Ea explicatio confirmatur apud Marcum, cap. IIII, 22, vbi Christus, postquam parabolam semen iacentis, item locum et usum lucernae Euangelicae, non sub modo aut lecto ponenda, exposuerat, haec adiicit: Οὐ γάρ εἴπιν ΤΙ πεπτόν, (scil. τὸ ἐνεγγέλιόν με,) ὃ ἔπειτα μὴ Φανερωθῆῃ, (id est, ὃ ἀν δέη Φανερωθῆναι,) 8δὲ ἐγένετο ἀπόκεν Φαν., ΑΛΛΑ ΙΝΑ εἰς Φανερὸν ἔλθῃ. Nam Euangelium meum nihil occultum est, quod nec reuelari debeat, maneante absconditum, sed ut in lucem et conspectum prodeat. n) Iam ad alia progrediamur. Nimirum, verba Matthaei, cap. XI, 12, grammaticae nuper interpreta-

Marc. IV,
22.

Matth. XI.
bar 12.

n) Placet adhuc, grammaticae opera, connectionem ostendere commatis 26, in Epist. Pauli ad Romanos VIII. cum superioribus. Ea connexio continetur in aduerbio similitudinis ὡντων. SIMILITER etiam Spiritus recipit infirmitates nostras - Id aduerbiū, notum est, vulgo referri ad ὡντα seu παθόντα. Et constat ex syntaxi Gracca, quod in comparationibus, similitudinibus et aliis propositionibus relativis, aduerbia reditioonis, sive prioris memtri

sint, sive posterioris, saepissime dissimulantur. v. c. Si I Timoth. III, 8 dicitur, δικαίους ΩΣΑΤΤΩΣ σεαν's scil. οἵτοι: subintelligitur ΩΣΠΕΡ τὸν ἐπισκόπον. Et capite V, 24 deest vicissim ΩΣΠΕΡ, ante verba τινῶν ἀνθρώπων οἱ ἀμεριτοὶ πρόδηλοι εἰσι, id quod patet ex aduerbio redditionis, in versu sequenti: ΩΣΑΤΤΩΣ οὐδὲ τὰ παλλὰ ἔργα πρόδηλά εἰσι. Itaque Ioh. PISCATOR loc. cit. ad Roman. putat, in illo ὡντων elliptice contineri verba οὐδὲ τὰ παλλὰ, quasi dicat

XXIII

bar in paelectionibus publicis, quemadmodum nouissime Vir S. R. HEVMANVS o) GLASSIVM et LYSERVVM sequutus est; saltem eo discrimine, vt verbum Εἰδέσθαι dicere Neutrum esse, ac subintelligi debere τὸ ἀγχεσθαι. (nisi verbum Εἰδέσθαι a re militari desumptum est, ac significat id, quod erumpit et immixer, adeo, vt ellipsis verbi ἀγχεσθαι non opus sit.) Reliqua autem sic constituebam: καὶ νοι τῆς Εὐαγγελίου οἰκτόλεσσον οὐτίν. id est, regnum caeleste (Nouum Testamentum) summa hodie vi contendit incipere, et filii regni maximo impetu illud arripiunt. Eiusmodi Εἰσαὶ in Talmude vocantur בָּנֵי רֹאשׁוֹן filii violentiae, vt IOHANNES GREGORIVS p) obseruat.

dicat Apostolus: ΟΤ ΜΟΝΟΝ δὲ ή ἔπις, ΑΛΛΑ ΚΑΙ τὸ πνεῦμα συνωτιλαμβάνεται τοῖς ἀσθενεσις ἡμῖν. Nec inepit. Nam in antecedentibus exposuerat legatus Domini, omninem rerum naturam, cum illis pariter, qui primicias haberent Spiritus, intra se congemiscere, spe que et patientia expectare liberationem a vanitate. Iam pergit: οὐαῖτος δὲ οὐ τὸ πνεῦμα συναρτᾶ . . . Quibus verbis hoc innuit: SIC VTI autem FIDE, spe, atque patientia praefolamur filiorum Dei patefactionem; ITA SIMILITER Spiritus Sanctus succurrit, ubi impares sumus ferendo oneri longae patientiae. Itaque conexio Graeci commatis cum antecedentibus, haec sane fuerit: ΩΣΠΕΡ Δὲ δι Ιησοῦς οὐ γένονται ὀπενδεχόμεθα τὴν ἀπολύτωτιν τὴν τύχαντος ἡμῶν, ΩΣΑΤΤΟΣ οὐ

τὸ Πτεῖρα τυνατὰ . . . Non igitur est recedendum a grammatica potestate adverbii οὐαῖτος, qua idem significat, ac κατὰ τὸ διοικητήριον, vel ἄριστον, παγιδαλότος: nec ei vis mera connectendi imponenda in hoc loco, quemadmodum SEBAST. CASTELLIO verit per ADE, quod Spiritus quoque - - ; Nec verba a reliquis, quae antecedunt, separari debent, quasi noui argumentationis materies inciperet, vt GENEVENSIUM INTERPRETES instituerunt; Nec opus est, vt cum cl. CHRIST. SCHOETTGENIO, in sua N. T. Edit. versum 24 et 25 parenthesi includamus.

- o) HEVMAN. loc. cit. p. 147.
p) IOH. GREGORII Not. et Obseru. in loca Script. S. latine reddidit RICHARDVS STOKES. Vid. p. 1229 Tomi vlt. Criticor,

uit. Atque hic locus Matthaei egregio est documento, folius grammaticae opera, sensum literalem et logicum, sine ambagibus et ambitiosa variae lectionis iactantia, prodire. Similiter, in versu 19, verba *καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία* ib. v. 19,
ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς, intelliguntur sine difficultate, si ex grammatica teneatur, primo, verbum *δικαιώω* significare *κατανεγκόνδιαν* damno, deinde, *τὴν σοφίαν* hypostaticam esse sapientiam, hoc sensu: *Ecce, homine natum! ut vorax, ut vinosus, et ut improborum ac publicanorum amicus es!* Adeo condemnor Diuina ego Sapientia ab his, qui esse filii mei debebant. Denique adiicere iuuat interpretationem Paullini loci, in I ad Corinth. XI, 10, quod ille locus nuper a Viro *i. Cor. XI.*
quodam ingenioso immisericorditer habitus est q). Paulus, quum viri praestantiam prae muliere commemoraret, et eam vel exinde euinceret, quia vir non ex muliere, sed illa ex viro sit, et quia vir creatus non sit propter mulierem, sed illa potius propter virum; hanc igitur rationem colligit: *διὰ τοῦ ὄφελοις ἡ γυνὴ ἐξεσταῖ ἔχει ἐν τῇς κεφαλῇς.* Illa verba, omisis dissertationibus de nuptiis, sponsa, ac velamine, grammaticae potius sunt vertenda: *Propterea debet mulier imperium et potestatem viri agnoscere super se*. Primo enim, versus octauus et nonus postulant, ut post *ἐξεσταῖ*, intelligatur *αὐθέτη*. Loquitionem autem *ἴξεσται* *ἔχει*, nemo nescit, significare *potestatem agno-*

D

agnos-

ticor. Anglican. ed. Amstel. Modus loquendi referendus est ad hanc traditionem: Duo inter se diuisam habebant hereditatem forte aequali, et de uno illorum dicitur in TALMUD.
Cod. Ioma, cap. 4. fol. 30 A:
שְׁנַשְׁמָרְתָּךְ וְהִרְקָמְתָּךְ
הַחֲרוֹן אֶתְךָ בֶּן חַמְצֵן עַד
quod absulerit partem suam, et socii etiam, ideoque vocarunt eum BEN CHAM-

TSEN, FILIVM VIOLEN-
TIAE, usque in diem mortis
eius.

q) Examinavit eius sententiam data opera Vir S. Ven. IOH.
DIETER. WINCKLERVS, in
Animadu. Philol. Crit. p. 8 sq.
Cuius etiam propria interpre-
tatio huius loci, quae habetur p.
14, adoptabitur abs me propter
suam concinnitatem, fine illa
mora, si haec mea reiicitur.

XXVI

agnoscere. Tandem, nihil est visitatius apud Graecos, quam ut vocabulum *κεφαλή* pro toto *homine* ponatur; quemadmodum *ΗΟΜΕΡΟΣ* r) ait: ἐνεὶς ἔμελλε Πολλὰς ἑρθίας ΚΕΦΑΛΑΣ αἴδι προσίσθεν, quoniam erat multos fortissimos homines in orcum projecturus. aut *ΗΕΣΙΟΔΟΣ*: s) τιμᾶς σὺν κεφαλῆς, honora τε ΙΠΣΥΜ. item *ΠΙΝΔΑΡΟΣ*: t) Άλτεω λαστροφον τιμῶ τὸν ἕα κεφαλῆς, petens publicum honorem sibi. et in *Observationibus Miscellaneis* u) locus adducitur ex *ΑΠΟΛΛΩΝΙΟ ΡΗΟΔΙΟ*, vbi vox κεφαλῆς pro αὐτῷ est apposita. Ecquid igitur nos impellit, ut a grammatica interpretatione recedamus, quum sensus adeo commodus et verissimus enascatur? Ita etiam verba sequentia, διὰ τοῦ ἀγγέλου, clara sunt, si particulæ διαι, quia Accusatiō iuncta est, tribuatur illa notio, quae aduerbio ἐνεκα vel χάρει inest, si cum Genitio componitur; ita, ut verba διαι τοῦ ἀγγέλου nihil aliud significant, quam τοῦ ἀγγέλου ἐνεκα, id est *exemplum angelorum*, qui imperium et potestatem Dei agnoscunt supra se. (*Hebr. I. 7. 14.*)

§. VIII

PRAETEREA, NEQVE NODOS SCRIPTVRAE SACRAE DIFFICILES EXPEDIENT, NEQVE DVRIA VEXATA ILLOVM LOCORVM, QVAE REPVGNANTIAE SIMVLANT SPECIEM, VINDICABVNT, QVI TEXENDAE ORATIONIS GRAMMATICAЕ NON GNARISVNT. Haec ipsa artificiosa grammaticaе, si non imperitia, negligētia tamen, impuris fons est, vnde omnia promanarunt, quae nonnulli interpres de sermone diuinorum scriptorum incondito, et de barbarismis ac foecisimis Noui Testamenti, excluderunt. Quum autem,

SCA-

r) *HOMERI Iliad. A, vers. 55.*

s) *HESIOD. Scut. Herculis, vers. 104.*

t) *PINDARI Olymp. 6, vers. 103.*
Et plura loca collegit Cl. IOH.

fr. HOMBERGK ZV VACH
in Parerg. S. p. 255.

u) *Miscell. Observat. Vol. 1. tom.*
i. p. 108.

SCALIGERO ^{x)} auctore, intellectus purus non parens esse aut suboles possit impurae orationis, reiiciendae sunt merito interpretationes, quae non conueniunt cum analogia grammatica, et quae vitiosam scribendi rationem Spiritui Sancto attribuunt. Itaque is demum scripturae sacrae nodos recte dissoluerit, qui haut nesciet artificium ornatae syntaxeos, et hominum diuinitus eruditorum scripta ad illud exiget. Sic inter Iudeos non magis, quam inter Christianos, disputatio serbuit, num Eua in loco Genes. Genes. III, 1 Messiam tamquam θεόν θεωπόνα descriperit? Plerique III, 1. enim, verba Hebraica נָתַר conuerterunt, quasi נָתַר fit praepositio, a, per significans, in hunc modum, *acquisui virum e r* Dominum, aut, cum CASTELLIONE, *addepta sum virum a Ioua*. At enim vero, dirimit controversiam iudex, grammatica, vbi hanc sententiam pronuntiat: Particula נָתַר, duobus nominibus interkalata, si a verbo actiuo regitur, indicium Accusatiui esto. ^{y)} Itaque, lata hac lege, nullum est dubium, quin ea verba transferri debeant, cum Hebraice peritissimo LUTHERO: *addepta sum virum illum Iehouam*. Sic in oraculo Iacobaeo, cap. XXXXVIII, 10, quo Messiae aduentus contra Genes. peruicaciam Iudeorum euincitur, dicuntur *regia dignitas et auitae leges non prius recedere a tribu Iuda, quam Sospitator aduenierit*. Hic verus est sensus loci Genesios, qui solius grammaticae beneficio prodiit. ^{z)} Nam Iudei vim inferunt Hebraeis verbis שְׁלֹחַ, ac multi alii statuunt, particula שְׁלֹחַ significari, iam finem fuisse impositum regimini Iudaico ante, quam Messias

D 2 in

^{x)} IVL. CAES. SCALIGER,
Exercitat. 104. p. 230.

^{y)} Conf. b. AVG. PFEIFFERI
Theſ. Hermeneut. Hypomn. ad
cap. 7. Can. 42. p. 207.

^{z)} Vid. Magnif. Praefulis, IOH.
GOTTL. CARPOVII Ap-
parat. Hist. Crit. Antiquit. S.

Cod. a pag. 19. usque 27, vbi
hoc Iacobaeum oraculum,
quoad scriptores, et explicatio-
nem verborum textus, item
quoad sensus paraphrasin, et
vaticinij impletionem, contra
Iudeos, solide et neruose ex-
pli-
catum est.

XXVIII

in hunc mundum venisset. Grammatica autem, et perpetuus particularum usus docet, vocula וְ, quando ei subiungitur נִ, indicari praesentiam alicuius rei usque ad istum terminum. Igitur dici in hoc loco; legislatores esse prodituros e tribu Iuda, usque ad Meissiae aduentum inclusae; quo peracto, Iudaicae politiae modus erat imponendus. In Leuitici capite XVIII, ubi leges vniuersales posituae vetiti concubitus fanciuntur, praecepitur commate 18, ne quis matrimonio ducat *Ischa ael achothah*, נָשָׁה אֶל־אֲחֹתָה. Haec verba interpretantur plerique sensu stricto, *sororem uxoris*. Sed, quoniam in his legibus absolutis, et minime hypotheticis, tale coniugium iam αναλόγως interdictum fuit versu 16, illa phrasis *Ischa ael achothah* ex usu linguae grammatico est capienda, nec vertenda per *uxoris sororem*, sed generativam per *vnam ad alteram*, *hanc iuxta illam*. ita, ut in hoc commate, Bigamia, quae alias nullo in loco Veteris Testamenti, interdicta sit. Phrasin enim נָשָׁה אֶל־אֲחֹתָה שָׁנָה, *Ischa ael achothah*, significare *vnum ad alterum*, tum in genere Masculino; id certum est ex Genef. XXXVII, 19: *וַיֹּאמֶר אֶל־אֲחֹתָה*, et dixerunt isch ael achiv, *vnis ad aliv*. tum in genere Feminino; id constat ex Ezechielis capite I, 9, quum de aliis Cherubinorum legitur: חֲבֹרוֹת אֲשֶׁר אֶל־אֲחֹתָה כְּנַפְּתָחָה, *iunctae erant ischa ael achothah, vna ad alteram, aliae eorum.* et in eodem capite, versu 23: וְתַחַת הַרְקֵעַ כְּנַפְּתָחָה אֶל־אֲחֹתָה שָׁנָה et sub firmamento aliae eorum erant ischa ael achothah, *vna ad alteram*. Itaque hoc, valde controversum, comma Leuitici, grammatica sic intelligendum existimo: *Aliam etiam uxorem, iuxta illam quae usuit, ne ducito, ut cum ea rem habeas, nam ea res uxori tuae dolorem facit.* a) Similiter GVILI-
ELMVS

a) Non dissentit ab explicacione versio FRANCIS. IVNIE:
Mulierem vnam ad alteram non

assumito. Et subscriptis interpretationi NICOL. ARNOLDVS, Theologus Bataeus, in
Luce

EL MVS VVHISTONVS, quum bilem euomeret in magnum canticum Salomonis, et id scriptum esse a rege, diceret, eo tempore, quo ille voluptatibus et Deorum religioni vacasset, locis abutitur e capite VIII, 6, et VI, 8. 9. Cantic. de promis. In priori loco, ait, inuidiam contineri pri- vi, 8. mariae coniugis, acerbe ferentis, quod suum Salomo a- VIII, 6. morem cum pellicibus diuideret: in altero, numerum amicarum, quas tum aluerit rex, conmemorari. In vitroque autem loco grammatica vapulat a VVHISTONO. Nam illic, et *Masculinis* suffixis, in בְּלֵי et בְּרִירָה, claret, ea verba non sponsae, sed sponsi caceftis esse: hic vero, conditio saltem ponitur ac numerus pro incerto, subintelle- ctu verbo בְּרִירָה esto, sit, hoc sensu: F A C, reginas sexaginta, et octoginta concubinas esse, - - vna tamen est mea columba, mea perfecta. id est: F A C, multas esse in his terris ecclesias, tamen vna est saltem ecclesia catholica, Christo gloriofa, nec vla macula sive ruga praedita. b) Sic Reformati doctores causam non habent, quod Matthaei

D 3 lo-

Luce in Tenebris, p. 178. Etiam foror vxoris dici potest, iuxta Hebraisimum, non ea, quae ratione stirpis est foror, sed quae ratione matrimonii, quod nimirum vxoris foror fieret, si nuberet viro. Ceterum, leges positivas Mosaiicas de prohibitione graduum, omnino universales esse, etiam extendi ex analogia oportere ultra personas, in Leuitico clare nominatas, et colligendum esse ab aequalitate gradus ad rationis (vt sic loquar,) identitatem, data opera alibi ostendam. Nam hoc in loco ratio instituti id non permittit. Ipse iam nuper aliqua disputauit super eo argu-

mento, in Philonianis, p. 672. ad Hebr. XIII, 4: τίνους γάρ οι, vbi ex PHILONE Iudeo nonnullas leges vetiti concubitus attuli. Legendus est interiu, qui in nouissimis scriptoribus de hac materia distincte et enucleate disseruit, S. R. IOH. HERMAN. BECKER, Theologus Gipswaldiensis, in der Anmerkung über die Ebelichen Gesetze, und den Grund ihrer erweiterten Erklärung, Gipswaldiae, anno 1749. 4.

b) WHISTON, in Suppl. Tentaminis, Londin. 1723. edit. quem confutauit cum summa gloria S. Ven. CARPOZIVUS, in Criticae S. Part. 3. p. 905. f.

XXX

Matthaei locum XX, 16, vbi dicuntur *multi vocati esse*, ad electio-
xx, 16. nem aut praedefinitionem pertrahant; nam vocabulum
πολλοι grammaticae *omnes* homines comprehendit, qui
multi sunt. c) Sic contra *Pontificios* premitur grammatica
Lucxiii, notio της ἀναργάζειν apud Lucam XIII, 23, et ex PLATONE
et ARISTOPHANE d) euincitur, illud verbum non indi-
care, aliquem igne, vi, et gladio cogere ad communionem
Romanae ecclesiae, sed persuadere ac permouere rationi-
bus. Sic apud Iohannem XVII, 3, quum Deus Pater no-
minatur ΜΟΝΟΣ ἀληθινὸς Θεός, recte vrgetur contra So-
cinianos, vocabulo μόνος non excludi, quae eiusdem sunt
generis, sed ea tantum, quae extra naturam sint Dei Pa-
tris, velut omnes res conditae, vel Dii peregrini, non
autem Deum Filium et Spiritum Sanctum, qui vterque
cum Patre aeterni et ynum sunt. Ita, quum PETAVIVS,
e) CAMERON, f) SIMONIVS g) atque alii, etiam Chri-
stum, fuisse ab aeterno praedefinitum credant, et eam op-
inionem euincere studeant ex Apostoli verbis, in epistola
Röm. I, 4, τῇ ὁμιλίᾳ τοῦ Ιησοῦ εἰς δυάμει, quae
VULGATVS conuerterat *praedefinito Dei filio in virtute*; hi
igitur, modo grammaticam expositionem CHRYSOSTOMI,
THEOPHYLACTI, et OECVMENII consuluisserint,
qui ὁμιλία reddiderunt per δειχθέντος, Βεβαιωθέντος, et
ἀποφανθέντος: deprehendissent, verbum ὅμιλον nihil aliud
esse, quam *demonstrare*, atque ita clare ostendere per
miracula ac resurrectionem a mortuis, vt illud in dubium
vocari non possit. Sic in cruce illa interpretum, cap. VIII,

Rom. ix,
18.

18,

- e) Lege SALOM. GLASSII Philiol. Sacr. p. 1910.
d) PLATO, in Gorgia p. 291.
ARISTOPHAN. Equitib. vers. 504. Confer CAROL. LE CE-
NE dans le Projet d'une nouvelle Version Françoise de la
Bible, p. 94. PETR. BAILIVM, in Commentar. ad b. l. Lucas.

- e) DIONYSIVS PETAVIVS, in
Dogmat. Theol. T. 6. de Incar-
nat. lib. II, c. 13.
f) IOH. CAMERON in Not. ad
Hebr. XIII, 8 (in Bibliis Cri-
ticis.)
g) RICH. SIMON. Hist. Crit. N.
T. P. 2. p. 278. et P. 3. p. 256.
et alibi.

18. ἐν ἔλει ἐν θέλει, ὅν δὲ θέλει συληγίνει, ex una vocum significazione patet, vix sermonem hic esse de *induratione*, sed sensum potius hunc: *ergo, cui vult, bene facit, et quem vult, durius tractat.* Nam verbum ἔλειν exprimitur in versu 13 per ἀγαπᾶν, et συληγίνει per μισεῖν, id est minus bene facere, atque adeo durius habere. Deus enim beneficia sua tribuit, cui vult, cui autem non vult, etiam non tribuit.

§. VIII

IAM in iis locis, quibus sacri scriptores a se inuicem distare videntur, dici vix potest, vt egregias usurpatio grammaticae suppetias ferat! Cuius rei testimonio esse poterit Iairi historia, auxilium Domini implorantis, ad seruandam, quae iam animam agebat, filiolam. Illud factum Mattheus sic enarravit, vt cap. VIII, 18 Iairum induxit conquerentem, ἡ θυγάτης με ἀρτὶ ἐτελέντης quae verba Interpretes, tantum non omnes, translulerunt, *filia mea modo mortua est;* Marcus autem, V, 23 ita exposuit, vt filiolam dixerit *in extremo periculo fuisse, τὸ θυγάτης με ἐσχάτως ἔχει.* Igitur viri docti, pro diuersitate ingeniorum, diuersas et ipsi vias ingressi sunt, ad hoc dubium tollendum. Qui vero, si grammaticam consulissent, quae ad manus medela erat, eam non adeo longinque arcessuerint. Nimirum, apud Mattheum obseruanda erat vis Aoristi, quae non Praeteritum tempus, sed tempus *indefinitus*, adeoque etiam Praefens et actum continuum significat. Itaque verba *ἡ θυγάτης με ἀρτὶ ἐτελέντης*, vertenda sunt *filia mea iam moritur,* h. e., in eo est ut moriatur. Id Latini, *animam agit*, vel *in agone est*, efferten, Marcus autem scriptis *ἐσχάτως ἔχει, in extremo versatur periculo.* Omnino planissime. Quod enim *SENECA* h) philosophatur, *ultimo horam, quo esse definitus, non solam mortem facere, sed solam consummare,* ita qui

b) SENECA, Epist. 24, p. 430.

Matth. ix,
18.

Marc. v,
23.

XXXII

etiam acute monuit GOTTERIDVS OLEARIVS, ⁱ⁾ eum, qui moreretur, dici non posse, iam mortuum esse, vocemque mori pro eorum statu adhiberi, quorum vita in eo sit, vt mox diffugiat. Iterum ex grammatica interpreta-

Marc. xv, tione, DANIEL HEINSIVS k) conciliauit Marcum XV,

25 cum Iohanneo loco, XVIII, 14. Ut enim ille, hora

Ioh. xix, tertia, scripsit, Christum fuisse crucifixum, ἦν δὲ ὥρα τέττη, ^{14.}

^{καὶ} ἐσάνεγωσαν αὐτὸν: ita Iohannes adduxit sextam, ^{ἦν} δὲ ὥρα ὥραι ἔκτη. HEINSIVS autem idonee statut, verbum ἐσάνεγωσαν per Plusquamperfectum conuersti debere, et vocalim ^{καὶ}, more Hebraeorum, non diuidere, sed coniungere potius, vt si dicas, ^{ἦν} δὲ ὥρα τέττη, μετὰ τὸ σαν-
χθῆναι αὐτὸν, siue, εἰς ἐσάνεγωσαν αὐτὸν. id est, erat ter-
tia hora, postquam eum crucifixerant, quum nimirum
vestimenta eius partirentur; (versu 13.) minime ita: quum
eum crucifigerent. In his igitur, aliisque penfis recte con-
ciliandis, interpres grammaticus tam felicissime versabili-
tur, vt vix possit cum meliori successu is, qui in aliis,
vbi opus est, locis, regulas oppositionis, a dialecticis
praescriptas, obseruauerit.

§. X

QVARTO, inter omnes confecta res est, neque et-
iam ex iis, quae iam disputata sunt, obscura, nimirum
SOLAM GRAMMATICAM IMPEDIRE, NE DOGMATA
PERVERSA AC NOVAE HAERESIS IN THEOLOGIA
EXORIANTVR. Quis enim ignorat, aduersariorum arti-
ficium in eo confitere, vt insolentes notiones, et quas
verborum situs plane respuit, vocabulis subiiciunt, nimirum
vt aliquam saltēm veritatis speciem sua sectae indu-
cere possint? Illos tu sophistas non raro oppugnari a
mul-

i) GOTTER. OLEARII Ob-
seru. S. ad Euang. Matth. Obs. 31
§. 5. p. 270. Confer etiam, post
GROTIUM, RICHARD. SI-
MONIVM in Notis,

k) HEINSII Exercit. S. in N.
T. p. 126. f. Adde S. V. DEV-
LINGIVM, in Obseru. S. T. 1.
Obs. 47. p. 206.

multis vid eas, operosis rationibus, petitis ex rei natura, philosophia, analogia fidei, et similibus, vbi sexcentae iis elabendi rimae relinquuntur; quum tribus saepe verbis, ex grammatica, et indole sermonis, ac validissime quidem, confutari possent. Atque illam quaestione magnus CHEMNITIUS, qui pro ecclesia mere grammatica, tamquam Homericus Achilles militauit, solide euictam dedit ex doctrina de iustificatione, quae Dei beneficio gratis fit ob liberationem in Christo Iesu, fide apprehensam. Louquutus enim copiose de vocibus et vocabulis, quibus scriptura sacra arduam doctrinam illustravit, tandem hoc inter alia oraculum fudit: *1) Amissa vera grammatica, statim extincta est lux purioris doctrinae, et quum nostro tempore restitueretur vera grammatica enarratio vocabulorum in hoc loco, rursus restituta est puritas doctrinae.* Nec possumus custodes esse doctrinae buius loci diuinitus repurgatae, nisi grammaticam discamus et amemus. Qua certe sententia, nihil verius atque solidius exstare potest. Ecquid enim vñquam vtilius praestari poterit scientiis, ex antiquitate repetendis, quam earum linguarum, quibus olim conscriptae sunt, grammaticam rationem declarare? Hoc vnicum est ac certissimum, vt omnes veteros, ita sacros autores, interpretandi, fundamentum. Igitur Tridentini doctores, vt sacram scripturam suis arbitriis et decretis subiicerent, grammaticos censebant excludendos esse ab ea interpretanda, quia videbant, si admitterentur, longe eos aliter illam exposituros, quam ipsi volebant, qui non tam verum verborum sensum, quam suis vnicce dogmatibus accommodatum, desiderabant. Euge vero, vt astute, medius fidius! et vt mehercule non absurde instituebant! Nam monere solent maximi politicorum, si quem in regno volueris aut republica loco mouere, illi prius arma ac numos eripiendos esse. Itaque IULIANVS m) artes et
E di-

*1) MARTIN. CHEMNITIUS, m) Conf. IOH. ALB. FABRI-
Locor. Theolog. P. 2. p. 246. cii Lux Euangelii toto orbi ex-*

XXXIII

disciplinas, Graecos et Latinos auctores, interdicebat et auferebat, quum religionem Christianam euertere conaretur. Et quid aliud, quaeſo, Tridentini theologi agitabant? Non audebant palam reiicere auctoritatem ſacri codicis; tamen, ne grammatici conſutarent theologos, ſola philoſophia, decretis ſolis ac versionibus ſubníxos, rectam ſcripturnae interpretationem, grammaticē faciendam, abolitam cupiebant! Tantum illis metum incutiebat grammatica ratio interpretandi! Tantam grammatici vim habent, ad ſcripturae ſacrae ſententiam inueſtigandam, et falſam funditus refellendam! Neque omnino ſine cauſa grauiſſima. Quis enim praua Pontificiorum commenta, de multiplici ſcripturae ſenſu, aut de Pontifice Romano, iudice, ſi diſ placet, veri ſenſu, aut de auctoritate VVLGATAE versionis, rectius, praeter ſolum grammaticum, conſutauerit? Ecquid etiam fortius repreſerit ineptum ſtudium allegorias venandi infinitas, quam haec ipſa interpretandi ratio atque norma? Quis oſtenderit felicius, Sanctorum

Genef.
XLVIII, 16. Ieos XXXXVIII, 16, niſi ille, qui haut neſciet, vim Hebraiſmi שְׁמָךְ קָרְבָּן non certe ſignificare et inuocabitur in illis nomen meuum, ſed potius, et fiet in eis mentio mei nominis, ſenſumque eſſe, quod voluerit Iacobus, filios Iofephī in Aegypto natos, non minus inſigniri a ſuo et patrum ſuorum, Abrahami et Iſaaci, nomine, quam reliquos nepotes, qui ſibi in Chanaanea fuerant geniti? Quis alius deſtruixerit artifex, argumentum, quod Pontificii quaerunt, pro ſtabiliendo Missae ſacrificio, in Lucae ver-

Act. XIII, 2, λειτουργίαν διτῶν καὶ νησεύοντων? Nam illi, vel aduerſus ſuae VVLGATAE fidem, transferunt, ſacrifican-
tibus illis Domino et ieunantibus, ſimul opinantur, quo-
ties verbum λειτουργίαν ponatur absolute in ſacro codice, to-
ties illud pro ministerio ſacrifici ſumi. Sed magnam ea
coniecutra imperitiam produnt. Hoc enim verbum, par-
tim apud antiquos Graecos, vnicē pro eo occurrit, quod
quis operam publico vel pecuniam praefet; partim apud Pa-
tres

tres Graecos, pro ministerio et cultu sacro, qui Deo publi-
ee exhibetur; partim denique in scripturis nupsiam pro
sacrificare, semper pro ministrare, docere, aut suffitus of-
ferre. Haec singula accurate euicit egregius, etiam his in
literis, theologus, SALOMO DEYLINGIVS: qui praeter-
ea solide demonstrauit, Missaticum Romanae ecclesias
sacrificium defendi non posse ex Actorum loco, sed ver-
bum hoc λειτεγύστων, a Luca usurpatum, explicari cum
CHRYSOSTOMO et OECVMENIO oportere per ικνευ-
τότων, id est, de illis, qui docebant Euangelium, et Domi-
no operabantur. n) Ita etiam bonus grammaticus signifi-
cationem tuebitur propriam Paullini loci, in I ad Timoth. I. Tim.
III, 2, in quo episcopus iubetur μιζες γραμμης ανη, vnius v- III, 2,
xoris vir esse. Nonnulli enim Pontificis o) existimant,
per vxorem in hoc loco intelligi parochiam, et contem-
dunt, interdici episcopo, ne ille duas, sed vnam tantum
ecclesiam, regat. Eadem denique ratione grammaticus
obuiam veniet irrisoribus veritatis caelestis, qui extorque-
re cupiunt e Marci cap. VI, 5, ac si defuerit Christo diuina Marc. vi,
virtus miracula faciendi, quia dicitur Ο ΤΚ ΕΔΤΝΑΤΟ
ἐνεὶ ἐδεῖται δύναμιν ποιῆσαι. Haec enim verba ita transfe-
runt: NON POTIT Nazarethae ullum miraculum face-
re. Sed, praeterea, quod in omnibus prope linguis rece-
ptum est, vt duo haec verba, volo et possum, non raro in-
ter se permutentur, ac phrasis εἰ έθέλειν pro εἰ δύνασθαι,
et vicissim εἰ δύνασθαι pro εἰ έθέλειν, usurpetur, quemad-
modum vir Graece peritissimus, GVLIELMVS BVDAEV^S
p), variis exemplis indicavit, vt adeo sensus sit, Christus
NOLVIT illuc miraculum facere propter eorum cordis du-
riti-

E 2

oriens, cap. 14, p. 294 f. vbi
praeterea multa habet, ad res
IVLIANI pertinentia. Add.
DE BLETTERIE Vie de l'Em-
pereur IVLIEN, p. 56.
n) S. V. SAL. DEYLING, Ob-

seruat. Sacr. T. I, Obs. 54, p.
255, f.

o) Vide NICOL. ZEGERI An-
notat. ad I Tim. III, 2 (in Bi-
bliis Critic. Anglic.)
p) GVL. BVDAEV^S, Comment.

XXXVI

ritiem: ita, si vel maxime verba εἰναὶ ἐδύνατο per non potuit exponerentur, interpretatio tamen THEOPHYLACTI admitti posset, Οὐκ ἡδύνατο, inquietis, εἰναὶ δυνάμεις ποιῆσαι, εἰς ἔτι αὐτὸς ἀσθενής ἦν, ἀλλ' ἔτι ἐκεῖνοι δημιοῦ ἦσαν.

§. XI

QVAMVIS autem sensus, quem verba grammaticae intellecta referunt, non perpetuo exhibet illam mentem, quam Spiritus Sanctus significare voluit; acuti tamen interpres dudum monuerunt, non temere recedendum esse a propria vocum potestate, cum propterea, quia propria significatio prior natura est, tum etiam, quia figuratus sermo orationem reddit difficultem. Quam igitur utilis ac necessaria sit grammatica interpretatio, vel inde est manifestum, QVOD THEOLOGVS, HAC NEGLECTA, IN OMNIBVS SCRIPTVRÆ LOCIS, MYSTERIA, TYPVS, ET ALLEGORIAS DIVINABIT, ETIAM ILLIC, VBI SENSUS PLANVS AC FACILIS ERIT, ET NULO INDICIO PROBARI POTERIT, ALIVM, PRAETER GRAMMATICVM SENSVM, A SPIRITU SANCTO INTENDI. Haec non obscure cognoscentur, si ex historia allegorici sensus, (digno arguento, quod olim a viro docto ex monumentis suis eruatur,) adducemus eorum nomina, quos contemtio artis grammaticae in varios errores illexit. Quis nescit, grammaticae neglectum impulisse Iudeos antiquiores, ESENOS, THERAPEVTAS, ARISTEAM, DEVTEROTAS, ARISTOBVLVM, et alios, q) vt illi, quaerendis in omni scriptura argutiis, iisque a vulgi

Græc. Ling. p. 186. Cl. HENR.
HOOGEVEEN, in Notis ad
FRANC. VIGERI libr. de I-
diotism. Gr. Ling. p. 206. ex
HERODOTO locum adduxit,
e lib. 1, c. 74: "Ἄγρει γέρειν
ναινοὺς ἰχθύους συλλατεῖς ἰχθυῖς εἰ-

ΕΘΕΛΟΤΕΙ συλλατεῖν. Nam sine
firma necessitudine conventiones
stabiles manere non POSSVNNT.

q) PHILO, de vit. contempl. p.
893 D. Conf. mea Philoniana,
lib. 4, cap. 2, §. 3. p. 11 f.

vulgi perspicientia remotis, pro Iunone nubes et inania
captauerint? Quis PHILONEM nescit, doctum et mini-
me contemnendum scriptorem? Quorsum ille saepissime
non abreptus est! Hic postquam multis in locis sensum
literae deseruerat, allegoricum autem, moralem, et a-
nagogicum vniue indagauerat; nonne igitur maximam le-
gis partem in ficta, saepe frigida mysteria transformauit?^{r)}
Ab exemplo huius PHILONIS ^{s)} Patres ecclesiae Christianae,
TERTULLIANVS, CYPRIANVS, GREGORIVS,
AMBROSIUS, HERONYMVS, AVGSTINVS, atque
reliqui, contaminati, quam intempestiuas, quaeso, in-
terpretationes excluderunt, sensumque scripturee sacrae
a litera detorserunt! adeo, ut CELSVS, ^{t)} Christianorum
ille infensus hostis, obiecerit, non fabulas mythico-
rum tam peruersa, et tam parum inter se cohaerentia con-
tinere, quam allegorica haec ingeniosorum hominum so-
mnia. Magnus autem ORIGENES ^{u)} vt se perturperi
dedit ob negligentiam grammaticae! Immo vero, quia
mysticos differendi ritus e Platonica palude hauserat, hoc
ipso nomine reprehensus est a PORPHYRIO, ^{v)} quod
illos Iudeorum scripturis adhibuit. Iam quid de Ponti-
ficiis

E 3

r) Exempla nuper dedi in *Philonian.* 2, 1, p. 24. *Sq.*

s) Clarissime testatur PHOTIVS
Cod. CV, a PHILONE propa-
gatam esse hanc mentis diuinae
interpretandae, corrumpen-
dae volebam scribere, ratio-
nem.

t) Conf. ORIGENES, contra
Celsum lib. 4, p. 198, ubi CELSVS
ille ita loquitur: οἱ γὰρ δικῆ-
οι περὶ αἰτῶν ἀλληγορίας γεγό-
θαι, πολὺ τὸν κύριον εἰσχωνεις
περὶ ὑπερέργων, τὸ μηδαμόν μηδεμόν

έργον δῆνας δημάνειν, θεραπεῖν τοι
καὶ πυρτύπανον ἵνα σεθῆται μηδέ τοι
διπτεσσα.

u) Defensus quidem a PETRO
DAN. HVENTIO, in *Origenian.* lib. 2. qu. 13. p. 172. Sed
vide, quae ipse regessi nuper
in *Philonian.* p. 26.

v) PORPHYRIVS, super CEL-
SO aetate, malitia aequalis, in
lib. 3, aduers. *Christian.* apud
EVSEBIVM, *Hist. Eccles.* lib. 6,
c. 19. p. 410. Addit PORPHY-
RIVS, ORIGENEM hanc expla-
nandi

XXXVIII

ficiis interpretibus, mediū maxime aeui, commemorem? Hi eo contendebant ingenii vires, vt junioribus persuaderent, grammaticam reificiendam esse. Quid igitur aliud in causa est, vt illi ruerent factō impetu ad ineptas sententias, allegoricas, tropologicas, et anagogicas? atque vt crederent, qui talibus excudendis aptiores essent, eos etiam doctiores theologos nominandoſ ſy)? Quid? quod alii in eo grege ſenſus multos literales affinxerunt vni loco! et hoc ipſo, non modo grammaticas imperitiam ſupinam oſtenderunt, ſed ſcripturam etiam ſacram ambiguum et incertam reddiderunt! Quid autem *Fanatici atque Myſtici impuriores?* Hi, vt ne videantur addicti eſſe literae, vt garriunt, occidenti, nonne in tantas ſunt audacias prolapi, vt vix aegrotantibus poſſint tam monſtruofiffimae phantasiae obuenire, quam horum hominiū terriculamenta ſunt, quibus ſacrum codicem obſperunt z). Denique, quid de *IOHANNE COCCEIO, et eius affectis,* a) dicam? Illi enim, quod grammaticam, et primam regulam, interpretibus praefcriptam, neglexe- runt, hanc ipſam ob cauſam a veritate aberrarunt; et, pio quidem conſilio, Christum tamen, vbi non erat, quaefiuerunt; et magna mysteria ſibi proposuerunt, in quibus fata ecclieiae et res temporum noſtrorum euolui exiſtimarunt; omni autem conatu nihil aliud effecerunt, quam vt ludibrio irrisorum ſunn ſtudium exponerent, qui anſam inde arripuerunt, multos alios locos, qui aperte de Christo agunt, in ſuspicionem adducendi: id quod ex vanis

nandi legem a CHAEREMO-
NE, Stoico, et CORNUTO
accepisse, atque ad myſterio-
rum indagationem traduxisse.

y) Lege HVGON. DE VICTO-
RE librum de Allegoriis V. et N.
T. Adde RAMBACH. Instit.
Herm. S. 1, 3. p. 79.
z) Vid. ABRAH. HEYDANI

de Origine Error. lib. 2. 4, p.
101 et HENRICI MORI Opp.
Theologica.

a) Vide ANONYMI Entretiens
ſur les différentes methodes
d'expliquer l'Ecriture de ceux
qu'on appelle COCCEIENS et
VOETIENS. Amſtel. 1707. Item,
VAL, ALBERTI Cocceianum.

vanis eiusmodi allegoriis eventurum esse, ISIDORVS
PELVIOTA, b) suo iam tempore praeuidit, et exper-
tus est.

§. XII

SUBLIMITAS ITEM, QVAE VERITATIBVS AD-
MAERET THEOLOGICIS, RECTIVS INTELLIGITVR,
SI EMPHASES VOCVM ET PARTICVLARVM, EA-
RVMQVE ELEGANTIAE ATQVE VARIETATES, IN
SACRO CODICE ACRITER EXPLORANTVR. Nam
euenire solet ex ignorantia huius partis grammaticae, vt
ea, quae ad religionem maxime pertinebant, non sine
dispendio graui, inobseruata praetermittantur. Quum e-
nim et rerum efficacia, et sublimis vocabulorum vis, tam
arcte in sacris literis inter se cohærent, vt partim signifi-
catio vocis πολυτήριος non raro ex theologia definiatur,
partim etiam in theologia iudicium fiat ex vocabulorum
potestate et constructione; ita eam ob caussam perspicit
sublimitatem rerum theologicarum, fine grammatica
vocum expositione, et emphasi illarum, multoties igno-
rari. Sed ea occupatio, permagna in primis cautione opus
habet. Nam vt innumera sunt in sacro codice, quae ne-
minem, aliqua saltem ex parte syntaxeos gnarum, offendere
possunt; ita quotidie videoas, eos in primis interpretes,
qui ultra gracilem aliquam ac iuncicam metaphysicam
parum sapiunt, c) multas emphases et sublimem rimari
sensum in illis locis, vbi alius exegetes scripturee sacrae,
eruditus ille et grammaticus, ne per divinationem qui-
dem talia inuenisset, e contrario ista vocabula, quae re-
ferta erant emphaseos pondere, tamquam plani et con-
triti sensus praetermittere. Atque illud sine proclive esset,
si modo fieri posset sine inuidia, exemplis famosissimis
de-

b) ISIDORVS PELVIOTA *Epi-*
tol. lib.2, no. 195. p. 215.

c) Huc pertinet egregia dissert.
Viri Celeb. IOH. AVG. ERNESTI,

de vanitate philosophantium
in interpretat. Script. S. Lipsi-
ae 1750. Eam accepi, quum
haec dudum scripta essent.

XXXX

demonstrare. Sed ne iram philosophastrorum, hac bona intentione, mihi conflem, aliquot saltem voces dabo, e quarum grammatica cognitione vis magna sublimitatis pendet. In illis quinque particulis negantibus, quae consociantur et cumulantur in oraculo epistolae ad Hebreos, XIII, 5, OT MH σε ἀνή, ΟΥΔΑ ΟΥ MH σε ἐγκαταλιπω, non effabilis continetur solandi virtus, ac fortissima in Dominum, defensorem nostrum, confidentia. Huius emphaseos nulla in versione, ut par erat, fuit ratio habita. Illa haec est: *non, non te deseram: profecto non, profecto non, non te relinquam!* Nuda in vocabulorum simplicitate sublimitas regnat: haec spiritum et medullas perfringit. Talem simplicibus in verbis sublimitatem, DIONYSIVS LONGINVS, d) ille maximus eloquentiae magister, in his.

Hebr.
xiii, 5.

Gen. I, 3.

Hebr. VII.
26

וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים וְרוּ אָאָר וְיוֹאָד
dixit Deus, sit lux, et fuit, neque diffiteri potest, ea plane νατὰ τὴν ἀξέλαν δυνάμεως τῇ Θεῷ enuntiata esse. Iterum in epist. ad Hebr. VII, 26 descriptio gloria et magnifica Iesu Christi, heredis omnium rerum, tribus vocabulis ineft: ὁψηλότερος τῶν ἔγειρών. Caelis vocat sublimorem diuus scriptor, et eo ipso splendidam HOMERI e) pom-pam, qua sui Louis maiestatem, in monte Ida sedentis, descriperat, obscurauit ac disputit. Sic vnicum persaepe verbum arcanam virtutem habet; sic vnicum item appositum vocabulum tantam lucem et vim continent, vt plenioris cuiusdam definitionis locum tueri possit f). Illius generis haec sunt. Iudei, quem populum Berhoënsen aduersus Paullum concitarent, sacer historicus, descripta eorum

d) LONGINVS de Sublim. sect. 9,
p. 34. (edit. PEARCE) Add.
diff. Viri S. Reu. et in literis
humanioribus versatissimi, d.
CHRISTOPH. WOLLI, de eo,
quod sublimē est in his Moſis
verbis, Περὶ ἀρχῶν, ad LON-

GIN. π. 44. Lipsiae, 1735.

e) HOMERVS, Iliad. Θ., vers.
41. f.

f) Conf. ANT. BLACKWALL.
Auctōr. Sacr. Clāssic. I, 2, §. 3.
p. 188. (ed. S. R. WOLLI)

corum furiosa insania, verbo *σαλένειν* vtitur. vide Apo-
stolorum acta, XVII, 13. Quo verbo, ecquid illum si-
gnificantius aut conuenientius excogitari? Idem sibi vult,
ac *mare funditus commouere*, violenta *tempestate ventis*
conflata, quae *stercus et coenum eicit*. Disensio enim et
rabies populi concitati, cum violentia aquarum componi-
tur in Veteri Testamento; et in hymnis Davidicis dicitur,
solius Dei praepotentis esse, vndarum murmur ac popu-
lorum tumultum coercere g). Verbo *ἰσχεῖν* indicantur
atrocissimi insultus omnis generis contumeliae, vt si
quis stupro nefando alteri castritatem eripit, aut alia iniu-
silitiae sceleret. Ex hac grammatica potestate hor-
ribile crimen intelligitur, ad Hebr. X, 29, si quis Spi-
rum Gratiae, τὸ Πνεῦμα τῆς Χάρτης ἐνύβεξε. Quo in loco,
et eodem quidem arguento, duo alia verba, magnum
sonantia, occurunt: *καταπατεῖν* quod notat *coenum pla-*
tearum pedibus conculcare, quemadmodum *a porcis fit*; et
κονὼν ἄγειν, quorum emphases non ita pridem enucleau-
i. Quando sacer baptisimus a Petro in priori epist. III, 21.
21, ἐπεράτημα, id est, *interrogatio*, *testificatio* vocatur;
huius nominis emphasi *stipulatio* innuitur, b) eius for-
ma in eo erat posita, vt, teste TERTULLIANO AC CYPRIANO, i) *stipulantis interrogatio* precederet, pro-
mittentis *responsio* congrua sequeretur. Nimurum, antistes
ecclesiae interrogabat, ἀποτάσση τῷ Σατανᾷ? respondebat
qui immergebatur, ἀποτάσσουαι. Idem interrogatus, συν-
τάσση τῷ Χειρὶ? excipiebat, συντάσσουαι. Denique, signifi-
cantissimum est verbum in historia cruentae passionis, *τετέ-*
λεῖναι, tot mysteriis et emphasisibus referunt, quot literis
constat. Vnde etiam a Marco, XV, 37, *Φωνὴ μεγάλη* nomi-
na- na- 37.

g) Vnde etiam melius intelligis
versum elegiacum ad *Hebreos*
XII, 25: Οὐ οὐ φωνὴ τὴν γῆν Ε-
ΣΑΛΕΥΣΕ τοτε.

h) Vid. IOH. OLEARII lib. de
ſtilo N. T. p. 208.

i) TERTULLIANI et CYPRIA-
NI locos dedit S. R. Lipfien-
fium Praeful, DEYLINGIVS,
in Obseru. S. T. I. Obf. 67. p.
323. sq.

XXXXII

natur. Descendit a voce τέλος, et grandis negotii αποτέλεσμα in voluens, Hebraic responderet verbis קְרָב et שָׁלֵג, quae adhibentur de consummatione et de impletione maximorum operum, ut creationis, templi, promissionum diuinarum. Quando igitur sigillatim conferantur omnes reliquae notiones, de quibus haec verba קְרָב, שָׁלֵג, τελεῖν, in sacro codice usurpantur, k) foecundissima ensuetur piarum meditationum seges, quae ad τελείωσιν, a Domino Iesu, τελειωτῇ, obediendo imperatam, applicari possunt.

§. XIII

SUPER ERESENT omnino, quae, vel pluribus exemplis demonstrare, vel rationibus illis, ad praefidia grammatica commendanda excogitatis, adiucere possem. Sed ne modum excedere huius scriptioris videar, saltem, ad occurrandam eorum calumniam, quos praeuideo finistre hanc disputationem accepturos esse, hoc monebo vniuersitate, me non versari in eo errore, ut crederem, nihil, praeter grammaticam, eo in primis sensu sumtam, quo illius ignorantes eam accipiunt, ab interprete postulandum esse, aut, ut dialectica, et aliarum disciplinarum in hermeneuticis sacris adminicula, multo fastidio contemnerem. Illud enim a rationibus meis longe alienum est. Sed hoc vnicum, tamquam certissimum, affirmo, eos ad unum omnes, qui, neglectis grammaticae praefidiis, non praesertim et ante omnia in *vocabulis et verbis* haerent, in iisque explanandis elaborant, sed sensum vnicem e *rebus*, id est, (more hodierno,) et philosophiae compendiis, quaerunt; et, qui suis interpretationis, ex metaphysica sumuntis, aut formulis, nudius tertius tam acute, vi aristarum aculei sunt, excogitatis, libros sacros aggrediuntur; eos denique, qui cerebri sui enunciations, definitiunculas, atque hypotheses, in oracula Dei inferunt: eos, inquam, ad unum

k) Vid. IOH. CASPAR. MERCKENII *Observation. Criticas in Sanct. Passionem Iesu Christi,* p. 842. f.

XXXIII

num omnes, et maximo conatu nihil agere, et theologi-
gici fundi calamitates esse, et recta via ad illam perniciem
ducere, qua veritas religionis Christianae deprauatur, et
corrumperit. Per grammaticam maxime, restituta est
puritas doctrinae sanctae, et aduersarii illius fracti sunt;
summique, post LVTHERVVM, theologi, omnibus per-
petuo ingesserunt verissimum epicharmium: QVANTO
MELIOR ERIS GRAMMATICVS, TANTO MELIOR
THEOLOGVS.

I AM vero id, cuius praeципue cauffa hanc scriptio-
nem institui, aggredior, atque clementiam SVMMI ET
POTENTISSIMI PRINCIPIS, CAROLI, DVCIS
BRVNVICENSIS ET LVNEBURGENSIS, Pii, Felicis,
Patris Patriae, Domini mei, et huius Academiae Nutricii,
demissa pietate et obedientia veneror. Cuius iussu haec
mihi prouincia gratiose data est, vt Professione Sanctae
Theologiae Ordinaria, iuxta munus literarum Graecarum
ordinarium, quod indulgentia TANTI PRINCIPIS ante
annum mihi imposuit, fungar. Et, quum OPTIMVS
ille PRINCEPS, ab eo inde tempore, quo me a Lipsien-
si publica Professione in suam Academiam euocauit, tam
benigne et laute me habuerit, alioque super aliud bene-
ficio cumulauerit; ego quidem, longe maxime impar
quoque tantis beneficiis extollendis, efficiam potius re
atque opera, vt neque in ingratum, neque in indiligentem
ea omnia collocata sint. Deus autem TE, et DOMVM
TVAM, seruet, Noster Amor, et Deliciae Generis Huma-
ni! Hoc enim simplex est, et vnum, et cuncta tamen com-
plexum, nostrum omnium votum: SALVS PRINCIPIS.

* * * *

N VNC vobis, lectissimi Commititones, quas per hoc
semestre lectiones Theologicas habebo, indicam. Pu-
blice, ab hora inde III, Euangeliū S. Iohannis, Graecis
e fontibus, eodem modo explicabo, quo in reliquis
Euangelistis versatus sum, in primis grammaticum sen-
sum, id est, primariam interpretationem, non neglecturus.


XXXXIII

Deinceps, quando ad Apostolicas epistolas perueniemus, eas secundum ordinem temporis, quo scriptae sunt, explanabo, quia id institutum, deprehendi, multum facere ad pleniorum earum intelligentiam. Hora VIII pergam in demonstranda *Theologia Exegetica*, quam brevibus aphorismis in calamum dictare, et omnia uberrimis exemplis biblicis illustrare, coepi. Substiti nuper in libro, qui de mediis Hermeneuticæ sacrae domesticis exponit.

iiii Hora XI commentabor in praestantissimi quondam theologi, b. CASPARIS NEVMANI, librum aureum, *trutina religionum, quae hodie sunt*, inscriptum. Ex eo libro, introductionem in omnes religiones, et earum discrimina, adeoque totam theologiam comparatiuam, propo-nam: religionis cuiusvis originem, fata, fundamenta, dogmata, et momenta omnium controversiarum, autores item large additurus, qui diuersas quaestiones illustrarunt. Denique illis non deero, qui *introductionem in libros biblios Noui Testamenti* desiderauerint. Eam denuo ex propriis schedis cogor paelegere, quia etiam nouissimum Gottingensem librum, pereruditum quidem, sed modo tam multa paradoxa continentem, pro fundamento ponere non possum. Philologicas et Graecas paelectiones, in valuis publicis indicabo. D E V M vero O. M. religiose veneror, vt fruiolum genus scripturae sacrae interpretandæ, et perulantium ingeniorum libidinem coërceat, rectum autem studium exegeseos sacrae, sine quo veritas nec intelligi satis, nec contra aduersarios defendi potest, munit, et largos ex eo fructus in puriorum Iesu Christi ecclesiam prouenire patiatur!

P. P. Helmstadii, in Academia Iulia Carolina,
A. I. S. MDCCCL

Pag. V lin. 20 pro aliquot lege aliquod
Pag. VIII lin. 24 pro quae lege quam



DD A 6427



WDA8

R





PROLVSIO ADITIALIS
DE
PRETE SCRIPTVRAE
SACRAE
GRAMMATICO

SIMVL
ATIO LECTIONVM
THEOLOGICARVM
SVB AVSPICIVM
SSIONIS S. THEOLOGIAE
ORDINARIAE
CADEMIA IVLIA CAROLINA

HABENDARVM
REDDITVR
A
BENEDICTO CARPZOV
EOL. D. ET EIVSDEM PROF. PVBL
ORDINARIO

HELMSTADII
XCV DEBAT F. D. SCHNORR